






EX LIBRIS
Co: Ludovici Pelleatti
e Portugruario.

XI - 1


M. ANTONII BRAGADENI, IO. PAVLLI FILII, PATRICII VENETI,

DE HOMINIS FELICITATE

Libri Sex:

VEL

DE RERVM VARIETATE LIB. II.



DE REPVBLICA, ET LEGIBVS LIB. IV.

AD SERENISSIMVM PRINCIPEM, AMPLISSIMVMQ; SENATVM VENETVM.



VENETIIS, Apud Nicolaum Misserinum.
CIϽ IϽ XCIV.

SERENISSIMO PRINCIPI AMPLISSIMOQ; SENATVI VENETO

M. ANTONIVS BRAGADENVS.





OMINEM, SERENISSIME PRINCEPS PATRESQ; AMPLISS. non sibi soli, sed primum immortali DEO, deinde partim suis, partim patriæ natum esse, ita sapientissimi quiq; philosophi testantur; vt præcipuam ortus eius partem, post Deum, patriam sibi vendicare vna & mente & voce consentiant. Parentes enim id solum efficiunt, vt huiusce vitæ lucem aspiciamus, patria vero, vt eandem omnibus commodis affluentem traducamus; illi nos gignunt, hæc genitos suscipit, & quasi communis mater alit, instituit, tuetur, ornat, & ad felicitatem vsq; perducit: vt merito in patriam omnia vitæ studia collocare, eiq; actiones, cogitationes, nostra deniq; omnia perpetuo consecrare debeamus. Quapropter ego florentissimam hanc Remp., quam iucundissimam mihi patriam singulari Dei munere concessam esse gaudeo, cum alteram quasi pa-

rentem, iam inde a primis annis, qua debui maxima pietate complexus sim, atq; ad eius cõmodum omnia mea consilia actionesque retulerim; iamdiu maxime optaui meam in ipsam caritatem certo aliquo argumento patefacere. Itaque, vt Deo primum, mox patriæ, deniq; parentibus, mihique ipsi aliqua ratione satisfacerem; scientiarum optimarumque artium studijs operam dedi, ac prius quidem ad eam philosophię partem, quæ rerum contemplatione continetur, postea vero ad alteram in actione positam, ad philosophiam, inquam, de moribus, & ad ciuilem legalemq; facultatem cognoscendam, animum studiumq; applicui: atq; aliquot annis in earum cognitione consumptis, varia pronũciata ex vtraq; philosophia, & vniuersa pene encyclopædia desumpta, sex libris De Hominis felicitate complexus sum: in quorum primo & secundo, de Rerum Varietate, in ceteris, De Rep. & Legibus vsitato magis & quotidiano dicendi genere, quam copioso & ornato disserui: qui libri, cum mihi edẽdi sint, & vt moris est, in disputationẽ publice proponendi: satis opportunam, diuque optatam nactus occasionem meæ, post Deum, patrię maxime debitæ caritatis significandæ; eos, vti patriæ ciuẽ amantissimum decet, tibi Serenissime PRINCEPS, vobisq; PATRES Opt. donatos & consecratos, meque simul vestri studiosissimum perpetuo addictum esse volui. Cui enim, aut ad meam erga patriam pietatem testificandam conuenientius; aut rebus ipsis, quæ in hisce libris de philosophia, deq; Rep. & legibus tractantur congruentius; quam vobis sapientissimis eiusdem patriæ moderato-

ribus


ribus consecrare possum? ita primum singularis in patriam amoris mei testimonium extabit apud omnes: tum hæ lucubrationes ex vniuersa philosophia deprompte, vos optimarum artium scientia, & rerum gerendarum prudentia præstantes, nactæ patronos atq; tutores, sapientiæ ac prudentiæ vestræ splendore illustrabuntur: denique nostri libri de Rep. & legibus, qui Remp. & leges rudibus duntaxat lineamentis adumbrant; ei Reip. dicati in lucem prodibunt, quæ optimis ac saluberrimis legibus temperata, optime institutæ Reip. forma & exemplum, sapientum omnium sententia iudicatur. Hos itaque ingenij mei fœtus multis editos laboribus atq; vigilijs in scientiarum studijs patriæ potissimum caussa susceptis, tibi Serenissime PRINCEPS, vobisq; amplis. PATRES multis de caussis debitos, vltro a me delatos, hilari fronte & læto, quo dantur animo, vt accipiatis, vos etiam atq; etiam rogo; & munusculum hoc magnitudini meritorum, ac dignitati vestræ longe impar, ex animo potius, quã ex re ipsa spectantes, vestra benignitate ita foueatis, vt perpetuum hoc vigeat pietatis meæ singularis in patriam, & in vos mirifici amoris & obseruantiæ monumentum. Valete Serenissime PRINCEPS ac SENATORES amplis., vosque DEVS Opt. Max. saluos ac felices perpetuo seruet, omniaque vestra consilia ad patriæ salutem dirigat, actionesque fortunet.

Patauij xij. Kal. Maij. CIↃ IↃ XCIV.

M. ANTONII BRAGADENI

hieroglyphicum emblema in Encyclopaediam
ex illo gen. 1. faciamus hominem ad
imaginem et similitudinem nostram.

TYPVS ENCYCLOPAEDIAE.



Nata Deo sophia, triplici concluditur orbe,
Tergemino similem, quod facit una Deo;
Hac uir cuncta capit, format, mentemq gubernat,
Et regit imperio clarus in orbe uiros:
Dum licet haec animo claudas qui tendis ad astra;
Nam trino similes sic eris ipse Deo.

M. Antonius Bragadenus scribebat, et delineabat Patauij. 1594.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΒΡΑΓΑΔΗΝΟΥ

ἐίς τὸν τῆς σοφίας νάον ἔμβλημα, κατὰ
τὸ, θ, τῶν παροιμιῶν.

חכמות בנתה ביתה חצבה עמודיה שבעה׃

Κλεινὴ ἀληθείας Δέσποινα, θεοὶ καλέουσι
τὴν σοφίην, ἄνδρες φιλόσοφοι ἀρετήν;
Ὑψιρεφὲς καλαῖς σοῦ μούσαις δείματο δῶμα
ἑπτάχα δαιδαλθὲν, κίονας ἑπτ᾽ ἐπέχον.
Πρώτη ἐκ φράσεων ἰδιώματος ἐςίν, ἐν αὐτῇ
πάσα ςοιχείων λάμπεται ἀγλαΐα:
Δευτέρη ἑπτάγλωσσον ἔχει τὴν βάρβιτον ὕμνοις
θεῖον, καὶ ῥυθμοῖς θελγομένην μέροπας:
Πολλὰ λόγων τρίτη ἐγκεκολαμμένα σχήματα δηλοῖ,
τῶν τε γένη ὄντων, τοὺς θέσεώντε τόπους:
Κομψὴ λέξις ἔνεσι τετάρτῃ ἄνθεα πειθοῦς
θηκία τῶν μουσῶν, γλωττοκομόντε μελῶν:
Πέμπτη ἔχει ἀβάκους καὶ ἀριθμῶν μυρία πολλὰ
ἕκτη ταῖς γραμμαῖς καὶ καθέτοις ἐγράφη:
Οὐρανὸς ἄςρα φλέγει ἐνὶ ἑβδίμῃ ἥλιος, ἑρμῆς,
μήνη, ἄρης, παφίη, ζεῦστε, πατήρτε κρόνος.
Ἀλλὰ δόμου λιθίνου κορυφοῦνται ἀμφὶ πρόσωπον
εἴδωλα ςέφανον χερσὶν ἔχοντα τρία;
Ἐν φύσεως ἔργων καὶ μυρία σχήματα ζώων,
παντοδαπῶν τ᾽ ἰδεῶν ποικιλίαν κατέχει:
Τοῦδ᾽ ἑτέρου ἐνὶ χερσὶ βλέπονται τ᾽ ἤθεα ἀνδρῶν
ἀςοί, καὶ βασιλεῖς τῶν πολέωντε νόμοι:
Χρυσέῳ ἀνὰ σκήπτρῳ πρωτεύει ὕπατον ἄλλων
τὸ τρίτον ἄςρα θεοὺς οὐρανιῶνας ἔχον.
Νῦν τὸ δὲ δῶμα νέοις μοῦνον κήρυξε πραθῆναι
ἡ σοφίη τὸ πλέον τοῖς προσφέρουσι πόνον:
Τοὔνεκεν ἆρα νέοι πάνυ πολλὰ πονεῖτε, φέριςος
καιρὸς, καὶ νεότης μέχρι πάρεςι καλή.

EIVSDEM

M. ANTONII BRAGADENI

שיר על החכמות בכלל

אשר מ״ עשים כל בחכמת פלאים
בראם וסוד כל בספר אלהים
מגלה לעין כל חכמים רפאים
בהידה ברז כל נבונים נגוהים
סתומים ללב כל אטומים פתאים
תמהים לרום כל תבונות גבוהים
יאשר שכר כל תבונת כמהים
בדעת יסוד כל בני ה׳ אלהים

תם

Ἔστι τοῦ φιλοσόφου περὶ πάντων δύνασθαι θεωρεῖν. Ἀριστοτέλ. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ τὸ γ΄. κεφ. β.

ΟΥΔΕΝ
ΓΛΥΚΥΤΕΡΟΝ,
Η ΠΑΝ ΕΙΔΕ-
ΝΑΙ.

Nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit omnium rerum scientiam consecutus. Cic. lib. 1. de orat.

M. ANT.

M. ANTONII BRAGADENI,

PATRICII VENETI,

DE HOMINIS FELICITATE; *VEL* DE RERVM VARIETATE

Liber Primus.

PRÆFATIO.



VMMVS ac præpotens DEVS, ab omni æternitate perfecte beatus, cum summam suam felicitatem, cum aliis communicare constituisset: Mundumq; hunc, quem cernimus, suo verbo ex nihilo condidisset: omnia, quæ in terris gignerentur ac fierent, ad vitæ vsum & hominis commoditatem procreauit, eiusq; subiecit imperio; hominem vero sui caussa, sibiq; similem effinxit, & ad æternam beatam vitam in Cælo repositam destinauit. Cum itaq; DEVS cetera omnia animantia rationis expertia, prona & humi depressa finxisset; solum hominem rationis participem & dominum omnium rerum esse voluit; eumq; celsum atq; erectum Cæli, quasi pristini domicilii spectatorem, in hoc pulcherrimo rerum varietatis Theatro constituit; vt cælestium corporum ordinem, admirabilemq; rerum conditarum varietatem contemplando, ipsum Mundi summum opificem & fabricatorem agnosceret, eiusq; immensam potestatem, sapientiam singularem, incredibilemq; mu-

 nifi-

nificentiam admiratus, eum ex animo atq; vnice amaret & coleret, perfectaq; viuendi ratione quam maxime posset imitaretur: atq; ita homo, dum corporis ergastulo inclusus est, cælestem illam beatitudinem meditaretur & inchoaret; mox eo solutus, in cælum euolans, vitam perfecte beatam ac sempiternam ageret. Atq; hoc quidem est vere, non verbo tenus philosophantium studium & perpetua voluntas; & ijs, qui CHRISTI *fidei initiati sunt propositus finis, vt scilicet* DEVM *Opt. Max. agnoscant, cognitum pie venerentur, perfectæque virtuti conuenienter, statuant perpetuo sibi esse viuendum. Cum autem Dei cognitio & amor atq; ipsa virtus, in duplici animi parte posita sit, in rationis & voluntatis perfectione, ad præstantissimum hunc finem, duplici genere scientiarum, dupliciq; vitæ ratione peruenimus: vna in rerum contemplatione sita, quæ rationem perficit; altera in actione collocata, quæ voluntatem potissimum format. Nam priori vitæ ac studiorum genere, cum cælestium ceterarumq; mortalium rerum pulchritudinem contemplamur; tum præcipue* DEVM *agnoscimus, in eiusq; admirabilis operis cogitatione defixi, diuinam potentiam, sapientiam, bonitatem, ac prouidentiam elicimus. Quis enim tam hebeti tardoq; ingenio esse potest, qui, cum ingentem admirabilemq; Mundi machinam conspexerit, summum eius artificem & fabricatorem non agnoscat? quis porro tam stupidus, qui, cum tantum Mundi ornatum, tam multarum rerum firmam perpetuamq; vicissitudinem, tantam naturæ varietatem intueatur: cælestium corporum pulchritudinem contempletur; Solis, & Lunæ, & reliquorum syderum errantium, atq; astrorum omnium fixarum viderit distinctionem, magnitudinem, motus æquabilitatem, progressiones, institiones, & ordinem sempiternum; non intelligat numen aliquod esse harum maximarum rerum conditorem, moderatorem, perpetuumq; conseruatorem? Cum autem tot rerum genera, quæ in terris gignuntur, hominum caussa parata esse cernimus; cum lucem*

qua fruimur; animum, quo viuimus, & præsentem beatam vitam, æternamq; in cælo constitutam, intelligimus ab hac præstantissima mente Mundi effectrice, quam DEVM appellamus, nobis impertiri; quis adeo immanis inueniri potest, qui singulari in eum amore non inflammetur? Altera vero vitæ studiorumq; ratio in actione posita, quæ cuiusque, & familiæ, ac Reip. institutionẽ docet; id nobis potissimũ præstat, vt singulis nostris actionibus Deum nostri, omniumq; rerum parentem munificentissimum contemplati, summa caritate prosequamur, eiusq; caussa ceteros pariter ac nos metipsos amemus: ea enim cuiusq; & vniuersorum hominum mores, actiones, cogitationesq; dirigendo efficit, vt debitum cultum Deo rite exhibeamus, deinde honeste viuamus, postremo suũ vnicuiq; iuris æquabilitate tribuamus; atq; ita cũ nobismetipsis, tum parentibus & patriæ vtiles, & viri boni simpliciter simus. Ex quo efficitur, eos tum demum beatos habendos esse, qui rerum præstantissimarum contemplationem cum actionibus consentaneis perfectæ virtuti cõiunxerint. Quoniam igitur hominis, qui ratione ducitur & uiuit, præcipua cogitatio in eo sita eße debet, ut finem & rerum agendarum ultimum cognitum habeat planeq; perspectum; constatq; felicitatem nostram in præpotẽtis Dei, rerumq; ab eo conditarum cognitione, & in actione uirtuti optimæ consentanea in uita perfecta esse collocatam; propterea, ut ad hoc præstãtissimum hominis bonum pro facultate peruenire possem, ex duplici philosophia in cogitatione & actione posita, libros duos de rerum uarietate deprompsi, quibus diuinæ naturæ, & rerum fere omnium contemplationem per summa capita breuiter perstrinxi, nec non libros quattuor de Rep. & legibus, qui in bene constituta Rep. rationem tradunt perficiendarum nostrarum omniũ actionũ, quibus Deo primũ debitus cultus adhibetur; deinde alÿ, uel in una familia, uel in una Vrbe cõgregati, apte ad summã felicitatẽ bonis moribus instituũtur, ad uirtutem informantur, & optimis legibus gubernantur.

LIBER
EX SACRA THEOLOGIA Scolastica. Cap. I.

1 

VONIAM hominis felicitas primum in contemplatione, ac præpotentis Dei cognitione sita est; & rerum varietatis ab Immortali Deo, tamquam ex primo auctore principia ducuntur: merito ab ipso Deo felicitatis cognoscendæ varietatisq; contemplandæ sunt nobis capienda primordia; postea dicendum quæ sit diuina natura, quæ eius attributa, quæ prouidentia, quid summa Trinitas, & qua ratione Deus sit hominis principium, finis, & recuperator.

2 *Itaque DEVM esse, non modo fide ac religione credimus; sed etiam naturæ vi possumus rationibus physicis probare ac demonstrare.*

3 *Est autem Deus, mens sine corpore, & rerum omnium maxime pura ac simplex.*

4 *Idemque vnus est, infinitus, æternus, perfectissimus, beatus, ac immortalis; & singula, quæ ab eo condita sunt, earumque perfectiones omnes admirabili, præstantissimaque ratione continet.*

5 *Præterea Deus est optimus, immo vero suapte natura est summum bonum, vt nihil in omni Mundo melius sit, nec excogitari quidem posit.*

6 *Ceterum, quamuis Deus ob summam naturæ infinitatem sit vbiq; locorum & gentium; tamen nulla regione, nullisque Cæli, aut rerum vniuersitatis finibus, quasi æquali, certoque loco definitur, aut circumscribitur.*

7 *Sed omnibus, singulisq; rebus creatis intime coniunctus inest sua natura, potestate, atque præsentia.*

8 *Propterea Mundus, omnesq; Mundi partes omni tempore diuino consilio, diuinaq; prouidentia administrantur.*

9 *Nec modo Deus vniuerse Mundi, rerumque humanarum*

pro-

procurationem habet; sed priuatim etiam cum omnibus iuuantibus causis absq; earum efficientiæ impeditione, ad singula efficienda nulla re alia interiecta cõspirat atq; cõcurrit.

10 *Tamen diuerso modo prouidet homini, atq; ceteris rebus. Nam, cum homo ad finem supra naturæ ordinem diuina prouidentia dirigatur; Deus vt admirabilem suam misericordiam, iustitiamq; patefaceret, nullo merito nostro, ex hominibus quosdam ab omni æternitate ad æternam gloriam delegit ac destinauit; quosdam autem ob eorum nefaria scelera reprobauit.*

11 *Qui quidem omnes certo ac immutabili numero, diuinaq; scientia comprehenduntur.*

12 *Neminem tamen Deus reprobauit ante præuisam culpã.*

13 *Atque hæc de vnitate diuinæ naturæ, quæ ita vna est ac simplex, vt plures personas non excludat.*

14 *Est enim in Deo intima sui communicatio, & absque vlla sui immutatione trium personarum Patris, Filij, et Sacri Spiritus multiplicatio atque distinctio.*

15 *Nam æterni Patris, qui a nullo natus est, quædam est fœcunditas atque communicatio, quæ vera est, & propria, vnaque tantum generatio.*

16 *Qui a Patre existit, vere est Filius, isque vnigenus, nulla vi; sed naturaliter & necessario a patre ex suæ naturæ, & rerum omnium cognitione genitus.*

17 *Pater vero, & Filius se mutuo infinite diligentes, spirant ambo Sacrum Spiritum, eiusdem prorsum naturæ & æqualitatis.*

18 *Spiritus Sanctus, non genitus est, non filius; sed a Patre & Filio, vno ipsius principio, vnaq; spiratione mirabiliter emanat.*

19 *Sunt aũt diuinarũ personarũ aliquæ veræ relationes; quæ perfectionẽ explicãt, & proprietatẽ, ac distinctionẽ adiũgũt.*

20 *Nam, tametsi diuinarum personarum relationes, & diuina natura re ipsa non differant: tamen non sunt idem prorsum,*

sum, quod diuina natura.

21 *Praeterea, sunt quaedam notiones ac proprietates, quibus etiam diuinae personae inter se distinguuntur.*

22 *Deus vero Opt. Max. non modo intra se; sed etiam cum alijs, & cum homine praesertim bonitatem suam immensam communicauit, cum Mundum & omnia, quae eius ambitu continentur hominis caussa fabricatus est, ipsum vero ob sui gloriam procreauit.*

23 *Ex quo Deus hominis non modo principium est, sed etiam vltimus finis.*

24 *Absoluta enim beatitudo nostra, nullo modo in hisce rebus creatis atque caducis consistit, sed in Dei cognitione;*

25 *Quod, etiamsi natura duce necessario probari potest:*

26 *Tamen, nisi diuinitus patefactum esset, felicitatem nostram sitam esse in clara Dei ac sanctisimae Trinitatis inspectione, & amore, vt Christiana fides atque religio docet: humana mens naturae tantum lumine illustrata, nullo studio ad tam admirabilem cognitionem aspirare potuisset.*

27 *Haec beatitudo quoniam in immortalis Dei perspicua inspectione & amore posita est; ea fruimur duplici animi functione, id est intelligentiae, & voluntatis.*

28 *Verumtamen, primum atque praecipue ea in amore erga Deum consistit: postea in eiusdem amati obtutu & cognitione.*

29 *Hoc autem diuino bono, modo fruuntur singulae beatorum mentes, quae per se diuinam naturam atque personas intuentur, & attributa diuina intelligunt, quae fide certa ac persuasa habuerunt, & quae vi naturae cognoscuntur; necnon ea, quae ad rerum vniuersitatem pertinent.*

30 *Nemo tamen eorum, qui in Caelo beatam vitam degit, in diuino verbo videt omnia, quae Deus comprehendit, nec vniuersa, quae a Deo creari possunt; sed vniuerse duntaxat cognoscit omnium rerum naturam, species, & proprietates.*

31 *Et quo ceteris beatiores sunt, eo plura & clarius vident:*

32 *Beatitudo enim est inaequalis non modo ex Dei videndi*

clariori vel obscuriori ratione; sed ex rei quoque obiectæ, id est Dei, & diuinorum attributorum magis minusue cumulata cognitione.

33 *Nos vero non possumus per nos ipsos, nostrisq; viribus diuinam naturam intueri, nisi gloriæ diuino lumine illustrati ad eam perducamur.*

34 *Itaq; iusti atque integri eorum animi, qui ante CHRISTI mortē diem suum obijerunt, antequam CHRISTVS resurgeret, nec Dei conspectum subire, nec in cælestem patriam ingredi potuerunt.*

35 *Modo tamen iustorum hominum animæ, ab hoc corporis vinculo solutæ, & sacris ab omni noxa liberatæ, vel in igne purgante expiatæ, statim in Cælum commigrant, in sanctorumq; consortium admittuntur.*

36 *Impiorum vero animæ, vbi e corpore excesserint, absque vlla cunctatione a iustissimo iudice æterno igni adiudicatæ, debitam luunt in inferno carcere pænam suorum scelerum.*

37 *Quoniam vero ob peccatum origine contractum, ceteraq; ab hominibus perpetrata scelera, admodum vitiata ac deprauata erat humana natura; Deus vt eam restitueret & præclusum aditum ad beatitudinem patefaceret, humanam carnem assumpsit.*

38 *Quod, tametsi non fuit omnino necessarium ad hominis salutem: tamen omnino consentaneum fuit, Deum se se creatis rebus communicare humanæ carnis assumptione.*

39 *Ac longe congruentius hominis, quam Angelorum naturam induit; vt natura, quæ peccauerat, ipsa satisfaceret, ac recuperaretur.*

40 *His ergo vulneribus naturæ humanæ, CHRISTVS Sacramenta tamquam salutarem medicinam adhibuit; eaq; ad genus humanum reparandum necessario instituit.*

41 *Sacramentum autem non modo est rei sacræ signum; sed etiam diuinam gratiam hominē iustum efficientem confert.*

42 *Semperq; signū est rei sensibus subiectæ, quæ diuinæ gratiæ nostræq;*

nostræque sanctitatis significandæ & efficiendæ vim continet.

43 *Nec solum vnam aliquam rem, sed plures ex diuina institutione significat. Nam unumquodq; Sacramentum, primum diuinam gratiam nos sanctos & iustos reddentem indicat, ac demonstrat: deinde CHRISTI Sacramentorum & nostræ sanctitatis auctoris cruciatuum & mortis memoriam affert: postremo cælestem beatam uitam, & gloriam sempiternam prænunciat.*

44 *Singula Sacramenta rebus & uerbis conficiuntur, quorum alterum materiæ, alterum formæ uim atque rationem obtinet.*

45 *Semperq; in Sacramentis nouæ legis certis rebus a Christo institutis, ac potissimum præscripta verborum forma uti oportet.*

46 *Effectus Sacramentorum, duo præcipue sunt, gratia & character.*

47 *Nam Sacramentum & diuinam gratiam confert, quæ hominem iustum sanctumque reddit; & ueluti quoddam insigne animæ imprimit, quod deleri nunquam potest.*

48 *Quamuis enim Sacramenta rebus sensibus perceptis conficiantur, quæ suapte natura animum attingere non possunt: tamen admirabili præpot. Dei uirtute, tantam uim habent, ut ad hominum intimos sensus, & animam usque penetrent gratiam conferendo, & character imprimendo:*

49 *Sed illud singulis Sacramentis commune est; hoc uero triū solummodo proprium, baptismi, confirmationis, & sacri ordinis.*

50 *Ex quo facile intelligitur, nouæ legis Sacramenta ueteris legis Sacramentis præstantiorem uim obtinere.*

מהקבלה
ET EX MYSTICA THEOLOGIA.
Cap. II.

1 DECEM ספירות, *sunt regulæ diuinitatis, quibus Deus bonitatem suam immensam cum aliis communicauit, perpetuoq; communicat.*

2 *Deus vero creauit Mundum tribus libris,* בספר וספר וסיפור *id est, in libro, numero, & locutione.*

3 *Nomen* ישוע, *ex principiis* הקבלה, *notat Deum, Dei Filium, Patris sapientiam, secundam Trinitatis personam opera Spiritus Sancti humana carne indutam, Mundi conditorem munificentissimum, eiusdemque Seruatorem.*

4 *Sanctuarii porta, quam Ezechiel clausam aspexit, & lapis e monte absque manuum, & hominis opera abscisus; qui creuit in montem adeo magnum, vt vniuersum Orbem terrarum implerit; conceptionis & Natiuitatis IESV CHRISTI præuia figura & oraculum extitit.* Eze. 44. Dan. 2.

5 *Cum autē Deus mana patribus in deserto e Cælo demisit, & Melchisedech panem ac vinum Abramo obtulit; typus fuit & prægressa figura Sanctissimæ Eucharistiæ.* Exo. 16. Gen. 14

EX THEOLOGIA ZOROASTREA, Trismegistica, Orphica, Platonica, & Sybillarum Oraculis. Cap. III.

1 CVM *Zoroaster, humanæ totius sapientiæ pater, in suis oraculis cecinit, Patrem proprium ignem non clausisse in potentia sua mentali, & esse omnia vno ab igne progenita; significauit diuinitatem a Deo Patre primum intra suū profundum in mentem primam, & secundam diffusam esse;*



deinde extra ſuum profundum ceteris mentibus, animis, & omnibus rerum gradibus aliquo modo tributam & communicatam; Mundumq; vniuerſum a Deo conditum eſſe.

2 *Et ſapientiſsime ac diuine ait Triſmegiſtus, Deum ob hoc ipſum omnia feciße, vt per omnia eum cernas, hoc bonum ipſius Dei eſt, hoc eius virtus, vt per omnia appareat.*

3 *Cum autem Orpheus tres uocat rerum conditores,* φάνεταν, Οὔρανον, καὶ Κρόνον, *intelligit & innuit Patrẽ, Filium, & Sacrum Spiritum ſimul conſpiraſſe ad Mundum producendum:*

4 *Tamen principium vnum eſt totum quod eſt, vt præclare inquit diuinus Plato, quod eſt extra omnia, & in omnibus, omniaq; ex illo, per illud, & ad illud ſunt.*

5 *Erythræa Sybilla in* ἀκροςιχὶ *illo vaticinij de extremo in terris iudicio* Ἰησοῦς, χρειςός, θεȣ̃, ὑὸς σωτὴρ, ςαυρὸς *diuino afflatu Chriſti aduentum & mortem uaticinata eſt.*

EX METAPHYSICA.
Cap. IV.

1 **M***ETAPHYSICA, eſt rerum vera ſcientia ceterarum omnium præſtantiſsima; cuius ſubiecta materia, quam tractat, eſt res, vel id quod eſt, quatenus eſt.*

2 *Eius autem quod eſt affectiones & proprietates, tres numero ſunt, Vnum, Verum, Bonum.*

3 *Vnum, nihil adiungit ei quod eſt; ſed proprie negat diuiduum eſſe ſimulq; ipſum ſignificat, & cum eo eſt idem re ipſa:*

4 *Verum dicitur, cum eiuſmodi res eſt, cuiuſmodi ſuapte natura eſſe debet:*

5 *Bonum autem, modum quendam rei cuiuſq; conſtitutioni congruentem declarat.*

6 *Diuiditur id quod eſt in decem ſumma genera ſeu categorias, ſubſtantiam, quantitatem, relationem, qualitatem, actionem, perpeſsionem, vbi, quando, ſitum, & integumẽtũ.*

Quæ

7 *Quæ omnia duplici diſcrimine in duas ſupremas claſſes facile diſtinguuntur, in ſubſtantiam, quæ primam, & accidens, quod ceteras nouem complectitur categorias.*

8 *His, id quod eſt non cenſetur commune genus vna & æquali ratione, ſed ab vno: nam primum dicitur de ſubſtantia, poſtea de accidente.*

9 *Subſtantia res eſt, quæ per ſe conſtat, omnibuſq; ſubijcitur accidentibus, quibus ipſa prior eſt natura ſeu definitione, cognitione, & tempore.*

10 *Accidentis autem propria & abſoluta natura, non eſt ſemper alteri inhærere; ſed qua alteri accidit.*

EX NATVRALI PHILOSOPHIA. Cap. V.

1  *VEMADMODVM ſummam atque admirabilem immortalis Dei diuinarumq; rerum pulchritudinem ac varietatem in Sacræ Theologiæ cognitione, mente atque cogitatione contemplamur; ita dum ad pulcherrimum huius Mundi Theatrum conſpiciendum deſcendimus, inſignem & varium fluxarum cæleſtiumque rerum ornatum diuinam pulchritudinem referentem in naturæ inueſtigatione ſenſibus percipimus & potiſsimum oculis intuemur.*

2 *Phyſica diſciplina, eſt inſpectrix ſcientia ac philoſophiæ pars, quæ corpus naturale, ſeu Mundum corporeum, qua interno motus naturalis principio præditum eſt, tamquam ſubiectam materiam explicat.*

3 *Harum autem rerum natura conſtantium principia, quædam interna numerantur, quædam externa: interna omnino tria ſunt, materia, forma, & huic oppoſita priuatio.*

4 *Quorum duo tantum priora, cum ſint ipſa rerum natura conſtantium eſſentia, proprie naturæ nomen ac vim habent.*

5 Natura vero, nihil aliud est, quam intimum principium & caussa motus & quietis eius, in quo est primo per se, & non per aliud.

6 Externa principia, sunt finis & efficiens, quæ si cum internis duobus materia & forma coniugantur; quattuor existent genera caussarum, materia, forma, finis, & efficiens.

7 Communes affectiones corporis cuiusque, quod natura præditum est, sunt motus, & quies, continuum, infinitum, locus, tempus, & inane.

8 Motus, est mouentis & mobilis, qua moueri potest, perfectio seu endelechia,

9 Cuius vnitas & propria natura sumitur a termino ad quem tendit.

10 Cum autem in omni motu sit actio atque perpessio, actio inest per se in patiente tamquam in subiecto, in agente vero per aliud alienaque vi.

11 Motus multiplex est, nam alius est naturalis, vt ortus, interitus, accretio, diminutio, immutatio, & motus grauium & leuium; alius violentus, vt agitatio eorum, quæ vi in sublime eijciuntur; alius animalis, vt ille, qui cunctis animantibus conuenit.

12 Grauia & leuia corpora a facultate essentiali ad motum rediguntur a generante, proxime & per se mouentur a sua forma, per aliud vero ab eo, quod remouet impedimentum.

13 Proiecta, motu cientur ab aere intermedio succedente tamquam ab efficiente.

14 In animantibus autem, forma atque materia est principium, quo ipsa per se mouent & mouentur; totum vero, est id, quod mouet & mouetur.

15 Continuum, quod magnitudinem & quantitatem corporis naturalis complectitur, non componitur simpliciter ex indiuiduis corpusculis, nec ex omnino indiuiduis; sed ex partibus continuis, & quæ diuidi possunt.

16 Infinitum, re vera nihil esse potest; cum omnia simplicia

& concreta corpora finitam magnitudinem & vim obtineant.

17 *Locus, proprie nihil aliud est, quam superficies corporis ambientis.*

18 *Tempus, est mensura seu numerus motus per prius & posterius.*

19 *Inane autem & vacuum, nihil est in rerum natura, nec vi naturæ esse potest.*

20 *Corpora naturalia iam constituta explicatisq; affectionibus prædita, alia sunt æterna, vt cælum, alia mutabilia, vt cetera omnia.*

21 *Cælum, est corpus naturale simplex, materiæ, formæque expers:*

22 *Neque enim componitur ex materia horum inferiorum;*

23 *Neque intelligentia, est forma, quæ cælum informet; sed suo orbi assistit.*

24 *Ex quo efficitur, cælum & intelligentias simpliciter esse immortales.*

25 *Verumtamen, cælum vim suam exercet in hæc inferiora corpora motu & lumine, quorum vi tantam in natura rerum pulchritudinem, varietatem, ac perpetuam vicissitudinem cernimus.*

26 *Corpora physica per se ortui atque interitui obnoxia, alia simplicia sunt inter corpora, vt quattuor elementa: alia concreta, vt omnia, quæ ex elementis, & ex eorum qualitatibus permiscentur.*

27 *Elementa, quæ sunt prima ac simplicia corpora ex materia & forma orta, sunt quattuor tantum, ignis, aer, aqua, & terra.*

28 *Ignis, cum leuissimus sit, supremam atque æthereram obtinet regionem, suoq; globo semper in orbem fertur, quamuis suapte natura sursum & recta moueri deberet.*

29 *Huiusmodi autem motus in orbem, oritur a Cæli conuersione & motu, ab eoq; perpetuo conseruatur.*

Igni

30 *Igni proximum locum possidet aer, qui in tres regiones diuiditur in supremam, infimam, & mediam.*

31 *Quæ quidẽ differũt inter se magnitudine, & qualitatibus.*

32 *His succedit aqua, quæ aeri subijcitur, & terra superior, ac longe maior existit.*

33 *Postremo loco est terra ipsa, quæ immota manens, sui grauitate ad centrum deprimitur.*

34 *Horum quattuor elementorum, quattuor sunt primæ qualitates, calor, frigus, humor, & siccitas; quarum altera alteri primum congruit elemento.*

35 *Terra enim est omnium primum sicca, aqua primum frigida, aer primum humidus, ignis primum calidus.*

36 *Concreta corpora naturalia, sunt ea omnia, quæ ex elementorum permistione exoriuntur; quæ, cum mortalia sint, perpetua vicissitudine modo gignuntur, modo intereunt, modo augẽtur, modo imminuuntur, modo deniq; immutãtur.*

37 *Permistio est eorum, quæ inter se temperari possunt, commutatorum vnio; quæ a misti generatione re ipsa non differt, sed ratione tantum.*

38 *Recens autem essentiæ generatio, non fit ex nihilo; sed ex antegressa subiecta materia, ex qua fiunt quattuor prima simplicia corpora appellata elementa; quæ Mundum mortalem & concreta omnia corpora suarum qualitatum atq; formarum temperatione quadam constituunt. Non enim in concreto, manent integræ eorum qualitates & formæ; sed temperatæ atq; remissæ: tamen ex earum temperatione & mediocritate, mistum ad pondus æquale exoriri, mente & cogitatione potius concipitur, quam vere existit.*

39 *Cum autem res naturales intereunt, non dissoluuntur usque in primam materiam; sed manere possunt accidentia quædam communia genito, & interempto.*

40 *Corpus naturale, quod vita præditum est, plantas, stirpes animantes, animalia rationis expertia, & hominem continet.*

Partes

41 *Partes, quibus constant omnia viuentia corpora, sunt materia et forma, materiæ quattuor sunt præcipui gradus, prima materia, quattuor elementa, mista similium partium, & membra; forma vero est anima, quæ est perfectio corporis, omniumque eius functionum principium.*

42 *Vnde optime definitur, prima corporis naturalis, quod viuendi facultatem habet, perfectio siue endelechia.*

43 *Ea, quia principium est, quo viuimus, sentimus, mouemur, atq; intelligimus, diuiditur in nutrientem, sentientem, & rationalem:*

44 *Mouendi enim facultas, aliud tantum animatorum, non item animæ genus constituit.*

45 *Altricis animæ tria sunt omnino distincta officia, corpus alere, augere, & aliud sibi simile procreare;*

46 *Quod inter cetera munera animæ vegetantis opus præstantissimum est, & præcipue a natura ingeneratum; ut sua cuiusque species propagatione, perpetuaque successione conseruetur.*

47 *Sentiens animæ facultas, qua animal percipit aliquo sensu ea, quæ extra se posita sunt, ipsum in eminentiorem sublimioremq; gradum corporis atq; materiæ constituit.*

48 *Sensus sunt duplicis generis, alij externi, qui sunt numero quinque, tactus, gustus, odoratus, auditus, & aspectus; alii interni, qui tres sunt, sensus communis, phantasia, & memoria.*

49 *Anima autem rationis particeps, quæ est hominis forma, nullo modo diuidua est, nec vllam certam sedem obtinet; sed tota est in toto corpore, & tota in qualibet parte.*

50 *Eademque in singulis hominibus, sicuti sentiens in ceteris omnibus animātibus, vnica est & singularis, multis prædita facultatibus aliarum imperfectiorum animarum.*

EX HISTORIA STIRPIVM. Cap. VI.

1 STIRPS, cuius tractatio postremum locum obtinet in naturali philosophia, est corpus mistum anima vigente præditum, sine sensu, quod cæli ac terræ vi, radice, vel auulsione, seminũq; natura solo nascitur, alitur, & augetur.

2 Stirpes autem a natura datæ sunt, vt animantibus alimentum, valetudinem, & voluptatem suppeditent.

3 Omnino tria sunt genera stirpiũ, arbor, fructex, et herba.

4 Quarum diuersæ vires ac facultates a medicis agnoscuntur vel primarum qualitatum caloris, frigoris, humoris, & siccitatis proportione, & gradibus; vel secundarum qualitatũ & sensuũ auxilio, vt sapore, odore, colore, atq; efficiẽtia.

5 Ζωόφυτα seu stirpes animantes, cum nec anima tantummodo, vt ceteræ stirpes ac plantæ, nec sentiente cum se se mouendi facultate, vt animalia; sed anima sentiente motus experte constituantur: merito sunt cuiusdam intermediæ naturæ inter stirpes & bruta animantia.

EX MAGIA NATVRALI. Cap. VII.

1 MAGIA naturalis, est secretior naturæ philosophia, & fructus quidam, vel in actione posita physiologiæ pars.

2 Quæ per se vtilis est, & iure permissa.

3 Eius vero miracula & admirabiles effectus, qui rerum naturam & hominum facultatem superare videntur, fiunt naturalia efficientia separata, patientibus sapienter applicando, & congruenter connectendo.

4 Est enim quædam tum animãtium, tum ceterarum naturalium

ralium rerum ſympathia & antipathia, quibus admirabili & abdita ratione, quædam ſe ſe viciſsim amplectuntur, & proſequuntur; quædam refugiunt atque expellunt.

5 *Ex Magia naturali tres præclaræ artes extiterunt Medicina, Chymica, & Agricultura, quæ naturali ſcientiæ ſubijciuntur ab eaq; principia mutuantur.*

EX MEDICINA.
Cap. VIII.

1 M*EDICINA, quæ dicitur naturæ inſtrumentum, eſt ars actionis, & ex earum artium ſerie, quæ cõiecturis nitũtur ad fines ſuos cõſequẽdos.*

2 *Ei ſubiecta materia, eſt humanum corpus qua ſanari poteſt: finis vero eſt ſanare: officium apte curare ad ſanandum: valetudinis autem conſeruandæ vel reſtituendæ cauſſa Medicus vtitur indicatione, experientia, & collatione ſeu comparatione.*

3 *Sanitas ſeu valetudo, eſt naturæ conſentanea & proba humani corporis conſtitutio; qua corpus perfecte ſuis muneribus fungitur.*

4 *Huic contrarius morbus, eſt affectus præter naturam humano corpori inſidens, a quo ſtatim læſæ actiones exiſtunt.*

5 *Sanitas autem primũ poſita eſt in proba ſimiliũ partium permiſtione, quæ temperies nuncupatur: deinde in diſsimiliũ partium concinnitate, quæ corporis conformatio dicitur: poſtremo in vtrarumq; partium tam ſimilium, quam diſsimiliũ cõmuni & optima conſtitutione, quæ vocatur cõtinuitas.*

6 *Contraria eſt morbi ratio, quoniam in vitijs contrarijs, vt in intemperie, mala corporis conformatione, & ſoluta continuitate cernitur.*

7 *Intemperies, eſt morbus ſimilium partium præcipue a cauſſa immutante effectus, a quo læſio functionum exoritur.*

8 *Mala corporis compoſitio ſeu conformatio, morbus eſt diſ-*

similium partium, qui in corporis figura, & membrorum concinnitate vitiata cernitur.

9 Soluta continuitas, est communis similium ac dissimilium partium morbus & deprauatio.

10 Morbum autem non modo functionum læsio, sed multa alia consequuntur; quæ communi nomine symptomata nuncupantur; symptoma vero, est constitutio præter naturam, vel omnis affectio, quæ morbum comitatur.

EX CHYMICA, ET AGRICVLTVRA. Cap. IX.

1 CHYMICA, est ars, quæ præcipue ex sulphuris & viui argenti mistione, meliora ex materia puriore sceligere vult, & deteriora ex impuriore.

2 Sicuti enim vis luminis cælestis sulphur & argentum viuum fouet, vertitq; in varia metalla; ita Chymici naturam imitantes, calorem & frigus sulphuri & argento viuo applicant, vt aliud metallum colligant.

3 In Agricultura vero, duo considerantur ager, & fruges.

4 In agro tria potissimum spectantur, primum enim ager eligendus est, eiusq; natura & loci qualitas probe noscenda est: deinde ager colendus est omni industria: postremo in semente facienda, serendo &c. temporum, aeris, syderum, aquæ, terræ, modiq; habenda est ratio.

5 In frugibus colligendis, messis, tritura, & ventilatio necessaria est.

EX MATHEMATICIS DISCIPLINIS. Cap. X.



1 *VONIAM cognitio rerum omnium, quæ sub contemplationem cadunt; tribus scientijs in speculatione positis continetur, Theologia, Naturali philosophia, & Mathematicis disciplinis: propterea, cum egerimus de theologicis, naturalibusq; contemplationibus; nunc ordine disserendum est de Mathematicorum scientijs.*

2 *Mathematica itaque, est scientia omnium certissima cum ob subiectam materiam, quam tractat; tum ob modum considerandi.*

3 *Materia ei subiecta nihil aliud est, quam partes, & continuum quantitatis: Mathematicus vero quantitatem hanc a corpore, & materia naturali, præsentia, & affectionibus abiunctam considerat, eamq; non modo abstrahit ab ijs, quæ ex accidenti iuncta sunt, & ab eo, quod posterius accedit; sed etiam ab eo, quod prius existit.*

4 *Deinde Mathematicus nullam proprie caussam considerat; sed formam tantum explicat, non quidem vt refertur ad id, quod forma præditũ est; sed vt ex ea colligitur affectio quantitatis, & hac ratione ex forma definit ac demonstrat, in quo maxime differt a physico.*

5 *Mathematicarum autẽ disciplinarum aliæ primæ ac simplices sunt, vt Arithmetica, Geometria, & Stereometria; aliæ intermediæ inter Mathematicam & Physicam disciplinam, vt Musica, Optica, Astronomia, Astrologia, & Cosmographia.*

EX ARITHMETICA. Cap. XI.

1 PRIMA & maxime simplex Mathematicæ disciplinæ pars, est Arithmetica, quæ deiunctam quantitatem, id est numerũ a rebus corporeis abstractum, tamquam subiectam materiam explicat.

2 Hic autem numerus separatus ab ipsis rebus, & is quo aliquid numeramus, vniuerse non nisi animi comprehensione existit.

3 Priuatim vero numeri rebus ipsis admisti perfecta natura, nullo modo a ratione emanat; sed vere cernitur in rebus ipsis.

4 Numerus autem mathematicorum, nihil aliud est, quam multitudo ex vnitatibus numerantibus aggregata.

5 Quo fit, vt numeros omnes quot quot sint, communi mensura vicißim dimetiri poßimus.

EX MVSICA. Cap. XII.

1 MVSICA, est ex Mathematicis disciplinis ars intermedia, & simplici Arithmeticæ subiecta; quæ numerum cum sono coniunctum, seu melos & concentum considerat.

2 Musica duplex est, vna Mathematicorum, quæ ab Arithmetica sumit principia, eisq; nititur, & in ea dissoluitur: altera rationis expers, quæ in solo auditu, & concentu cernitur.

3 Hæc autẽ vocalis Musica duorum est generum, alia enim simplex est, alia composita.

4 Simplex, vnius hominis voce exprimitur: vocum autem interualla seu gradus, sex vniuerse numerantur; quorum

rum affectiones sunt vnisonus, & symphonia.

5 *Composita vero, est harmonia & plurium vocum concentus seu symphonia, cuius conficiendæ plures traduntur leges.*

EX GEOMETRIA. Cap. XIII.

1 *ALTERA simplex Mathematicæ pars, est Geometria, quæ lineas, ac superficies a materia naturali secretas considerat.*

2 *Linea, qua rerum longitudinem metimur, est longitudo latitudinis, & craßitudinis expers, cuius extrema sunt duo puncta.*

3 *Punctum autem, quod est magnitudinis principium, omnis magnitudinis expers intelligitur, & ex eius fluxione in longum ducti lineam procreari cogitatione concipimus.*

4 *Angulus, qui est affectio lineæ, est duarum linearum mutuus contactus.*

5 *Superficies vero, est extremitas longa, & lata, craßitudine carens, cuius extrema sunt duæ lineæ.*

EX OPTICA. Cap. XIV.

1 *OPTICES, est intermedia disciplina inter Physicam & Mathematicorum scientias, simpliciq; Geometriæ subiecta; quæ lineas a materia naturali abiunctas sumit a Geometra explicatas, easq; radijs rectis, reflexis, & refractis illustratas, qua pertinent ad aspectum, considerat.*

2 *In optica vero tria potißimum spectantur, cernendi modus, varietas aspectus, & deceptio.*

3 *Cernendi modus duplex est, rectis radijs, vt in aere, & refractis, qui referuntur vel ad angulos æquales, vt in speculis planis, conuexis, simplicibus, & compositis, ex quo fit reflexio radiorum: vel ad angulos inæquales, vt in humore, & aqua,*

&

& hi speciatim radij refracti dicuntur.

4 *Aspectus diuersus existit, tum ex diuersa ipsius affectione & qualitate; tum ex vario ipsarum rerum, quæ cernuntur, situ, colore, magnitudine, leuitate, & densitate.*

5 *Decipitur autem aspectus a rerum magnitudine, paruitate, coloribus, uisu ipso, & cogitatione.*

EX STEREOMETRIA. Cap. XV.

1 POSTREMA *simplex Mathematicæ pars, est Stereometria, quæ corpora solida a materia abiuncta per se ac simpliciter tractat.*

2 *Solidum, est magnitudo longitudine, latitudine, & altitudine prædita, cuius terminus est superficies seu extremitas.*

3 *Figura autem solida, est corpus ab vna uel pluribus extremitatibus comprehensum.*

4 *Solidæ figuræ, sunt sphæra, conus, cylindrus, pyramis, prisma, & quinque corpora regularia tetraëdrum, cubus, octoëdrum, dodecaëdrum, & icosaëdrum;*

5 *Sed inter omnium corporum figuras, perfectissima & capacissima est sphæra.*

EX ASTRONOMIA. Cap. XVI.

1 ASTRONOMIA, *est intermedia scientia Stereometriæ subiecta, quæ corpus solidum seu sphæram complicatam naturali materiæ considerat.*

2 *Sphæra & Mundus vniuersus distribuitur in duas partes, in cælestem atq; ætheream, & in elementariam.*

3 *Cælum, est corpus maxime rotundum, quod sempiternis conuersionibus in orbē torquetur, rursumq; in se reuertitur.*

4 *Ex quattuor autem elementis infimum, est terra, quæ in medio mundi fixa, solida, atque immota per se cohæret suis librata ponderibus, & cum circumfluis aquis unum efficit globum atq; tumorem.*

5 *In sphæra autem vertices duo sunt immoti, quorum unus arcticus seu septentrionalis dicitur, qui ad Septentrionem attolitur ac nobis semper conspicuus est: alter antarcticus seu australis appellatur, qui ad Austrũ deprimitur, & nobis semper occultatur. Circuli uero ex quibus Astronomis sphæra conficitur, decem numerantur, finiens, meridianus, signifer, æquator, duplices coluri æquinoctiorum & solstitiorum, arcticus, antarcticus, & duo tropici æstiuus & brumalis.*

EX ASTROLOGIA.
Cap. XVII.

1 *ASTROLOGIA diuinatrix seu Haruspicina, est disciplina interiecta inter Mathematicam & Physicam, quæ rerum futurarum euenta ex consensu & conspiratione cælestium corporum cum inferioribus diuinat atq; prædicit.*

2 *Sunt autem tria præcipua Haruspicinæ principia, signifer circulus, septẽ stellæ erraticæ, & duodecim Cæli domus.*

3 *Ceterum fortuitæ actiones atq; consilia, quæ a libera voluntate proficiscuntur, nulla certa diuinandi scientia continentur.*

4 *Quare ea nec certo cognoscere, nec prænunciare licet.*

5 *Futura tamen euẽta, & actiones, quæ ad communes caussas pertinent, & opera, quæ a natura proficiscuntur, ex motibus, coniunctionibus, aspectibus, & afflatibus syderum probabiliter, quamuis difficulter prouideri ac prædici possunt.*

EX COSMOGRAPHIA, GEOGRAPHIA, & Corographia. Cap. XVIII.

1 *COSMOGRAPHIA seu Geographia, est terræ, quæ mundi pars est descriptio, & disciplinæ media Stereometriæque subiecta, quæ terram vniuersam, eiusq; zonas, longitudinem, latitudinem, parallelos, meridianos, & climata describit.*

2 *Terræ quinq; sunt Zonæ uel plagæ quinq; Cæli plagis respondentes, vna media torrida, duæ extremæ frigidæ, & glaciales, totidemq; temperatæ inter mediam & extremas interiectæ: omnes uero habitabiles.*

3 *Regionum & vrbium longitudo, sumitur a terræ totius occasu, qui a fortunatis insulis incipit in exortum.*

4 *Latitudo vero ab æquatore sumitur ĩ Septẽtrionẽ, uel Austrũ.*

5 *Paralleli longitudinis & latitudinis in Geographia, sunt circuli inter se æque distantes ab oriente Sole in occidentem producti; qui regionum latitudinem distinguunt, & longitudinem metiuntur.*

6 *Atque hi ab vmbrarum ratione triplices sunt, Amphiscij, Heteroscij, & Periscij.*

7 *Meridiani in Geographia, sunt circuli ab Austro in Septentrionem protenti & in polo coucurrentes, qui regionum latitudinem dimetiuntur, & longitudinem definiunt.*

8 *Clima, quod Geographis horarum inclinatio dicitur, est terræ spacium a Solis occasu in exortum extensum, & inter duos parallelos comprehensum, in quo a climatis initio ad finem accidit diei longissimi semihoræ uariatio.*

9 *Corographia, quæ est singularum regionum & vrbium descriptio, terram per montes, maria, & fluuios metitur, atque distinguit, tabulisq; describit.*

10 *Vniuersus autem Orbis terrarum, in quattuor partes distinguitur Europam, Aphricam, Asiam, & Americam.*

Finis Libri Primi.

M. ANT.

M. ANTONII BRAGADENI, PATRICII VENETI,

DE HOMINIS FELICITATE; *VEL* DE RERVM VARIETATE

Liber Secundus:



EX MORALI PHILOSOPHIA vniuerse sumpta. Cap. I.

1 

MNES principales disciplinæ, in quarum cognitione tractationeq; hominis perfectio consistit, admirabilisq; rerum varietas elucescit, sunt vniuerse duorum generum; nam vel ad veri contemplationem referuntur, cuiusmodi sunt tres iam explicatæ scientiæ inspectrices; vel ad boni consecutionem, vt ceteræ disciplinæ, quæ in actione versantur.

2 *Harum autem, aliæ, ad actionem & ad bonum in actione positum, tamquam ad finem diriguntur, atque huiusmodi est Moralis philosophia: aliæ vero ad effectionem spectant, quarum finis est opus, quod post muneris functionem relinquitur, vt sunt artes seu disciplinæ effectrices. Quapro-*

pter, cũ de ijs disciplinis hactenus egerimus, quæ in veri inuestigatione occupantur; instituti nostri ratio expostulare videtur, vt de ceteris disciplinis, quæ ad actionem & boni adeptionem pertinent, ac primum de Morali philosophia, postea de Artibus verba faciamus.

3 Est igitur Moralis disciplina, philosophiæ pars, & in actione posita scientia, quæ hominum actiones libertati subiectas, quatenus ad virtutem & honestum institui possunt, tãquam subiectam materiam considerat.

4 Sunt autem quædam nobis innata Moralis philosophiæ principia, ex quibus constat, & in quæ postremo dissoluitur; quorum alia ad intelligentiam & cognitionem; alia ad voluntatem & actionem pertinent.

5 Distinguitur autem uniuersa Moralis philosophia in tres præcipuas partes, in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam: siquidem prudentia, quæ humanas actiones instituit ac moderatur, & idem est re ipsa, ac Moralis scientia, vel in vnius hominis actionibus formandis, & quod sibi vni honori atq; vtilitati sit, inquirendo ac de eo consultando uersatur, ex quo Ethica & singularis prudentia exoritur: uel in aliorum communi procuratione cernitur, quæ duplex esse potest, uel aliorum in una familia, quæ Oeconomica & domestica prudentia nuncupatur; uel aliorum in aliqua ciuitate, & ex hac existit Politica seu publica & ciuilis prudentia.

EX ETHICA, VEL DOCTRINA De Moribus. Cap. II.

1 QVONIAM cuiusque hominis actiones, quas Ethices recte instituit, ad vltimum aliquem finem referuntur; propterea omnes homines finem aliquem vnum, & rerum agendarum vltimum propositum habent; quod, cum optimum sit, per se expetendum est, eiusque caussa cetera omnia.

Hoc

2 *Hoc autem, quamuis ex sententia Arist. in actione perfectæ virtuti consentanea positum sit; tamen rectius Theologi sentiunt, summum hominis bonum in æterni Dei videndi, perfruendique voluptate consistere.*

3 *Ad hunc præstantissimum finem Deo adiutore, uirtute duce, probisque actionibus peruenimus. Virtus, est bonus animi habitus in mediocritate positus, & honestis actionibus comparatus; qui in affectibus actionibusque humanis versatur.*

4 *Hominis actiones, quæ more perficiuntur, probæ sunt, cum in rebus rationi congruentibus versantur, ad optimumque finem spectant, & suo loco, ac tempore, ceterisque adiunctis consentanee suscipiuntur.*

5 *Sed, vt oīno probæ sint ēt appetitiones cogitationesq;, nostra volūtas diuinæ volūtati cōsentanea & similis esse debet.*

EX OECONOMICA, ET POLITICA. Cap. III.

1 OECONOMICA *seu domestica prudentia, quæ bonum familiæ spectat, actiones & officia domestica dirigit, id est mariti & vxoris, patris & filiorum, domini & serui.*

2 *Vxor, non est habenda pro serua, sed vitæ socia insolubili vinculo coniuncta, & consors administrationis & curæ domesticæ; tamen fœmina suapte natura dominari non debet.*

3 *Liberi, qui ex bonis & nobilibus parentibus non semper nobiles, & boni nascuntur, suos parentes reuereri, amare, eisque parere debent.*

4 *Seruorum autem munus, est suis dominis subiectos esse atque fideles, eisque omnibus in rebus honestis seruire.*

5 *Quamuis enim omnes homines suapte natura liberi sint; tamen ob naturæ corruptelam aliqua seruitus necessaria est & naturalis. Vnde seruitutes & bella iuste iure gentium*

instituta sunt: sed de ijs, quæ ad Politicam spectant, uberrius & accuratius tribus libris de Rep. postea differemus.

EX IVRE PONTIFICIO. Cap. IV.

1 *PVBLICA prudentia, quæ Politicam constituit, distinguitur in partem principalem seu architectonicam, quæ quoniam in legibus condendis versatur, Nomothetica dicitur; & in partem minus principalem priorisque ministram, cuius munus, est exequi ea, quæ a legibus iubentur consulendo, vel iudicando: Inter duas has partes interiecta est legum interpretatio, seu Iurisprudentia; quæ a Nomothetica dirigitur, & consulentem ac iudicantem facultatem perficit: sed, quoniam de Nomothetica postea integro libro agemus; nunc quædam ex iuris & legum interpretatione deprompta, ac primum ex Iuris Pontificij, postea ex Cæsarei Iuris prudentia subijciemus.*

2 *Summus Pontifex potest explicare ardua negotia sine consilio Cardinalium: Idemque solus canonum decretis, sicuti Princeps legibus, solutus est. ex rub. & c. 1. ex. de Const.*

3 *Canonum decreta obligant Cardinales, & sunt ab omnibus seruanda. ex. c. 1. eod.*

4 *Post completam præscriptionem, etiamsi superueniat mala fides, res præscripta non est restituenda. ex. c. significasti. ex. de præscript.*

5 *Furiosus & mente captus, nec etiam ad pias caußas testari potest. ex. c. cum esses & ex c. relatum ex. de testam.*

EX IVRE CÆSAREO. Cap. V.

1 *CAVSSAE meri imperij, & quæ speciatim tribuuntur, delegari non possunt. ex c. 1. ff. de offic. eius.*

2 *Libellus potest emendari etiam post litis contestationem. ex l. edita C. de eden.*

3 *Ius accrescendi inuectum est, ne quis partim testatus, partim intestatus decederet. ex l. vn. C. quando non pet. par.*

4 *Donatio simplex, a patre filio in potestate constituto elargita, in communionem non est conferenda. ex rub. C. de collat.*

5 *In mutuo tantundem eiusdem generis & bonitatis necessario restituendum est. ex l. cum quid ff. si cer. pet.*

EX CRIMI, ET FEVD. MATERIA. Cap. VI.

1 *RAPTORES virginum in fragranti crimine a consanguineis deprehensi, impune interfici possunt. ex Rub. ad l. Iul. de ui pub.*

2 *Qui habuit animum occidendi, etsi vulnus tantum intulerit, capitali pœna plectendus est. ex l. is, qui cum telo C. ad l. Corn. de sycar.*

3 *Ex urgentibus præsumptionibus, non licet hominem punire ultimo supplicio. ex l. bene est. ff. si cert. pet.*

4 *Dominus uasalum inuitum feudo priuare non potest. ex c. 1. de ijs, qui feud. dar. poss.*

5 *Feudum pecunia acquisitum, uere est feudum. ex c. 1. de nat. feudi.*

EX EFFECTRICIBVS DISCIPLINIS, siue ex Artibus vniuerse. Cap. VII.

1 *EX tribus principalibus disciplinis, quas supra in inspectrices, actuosas, & efficiẽtes distribuimus, reliquæ sunt nobis effectrices siue Artes considerandæ; quæ tametsi philosophiæ nomine honestandæ non sunt, cũ nec honestum, nec summum bonum propositum habeant; tamen homini ad animum excolendum, in eisque insignem operum varietatem cernendam, & ad corpus corroborandum, ac præcipue ciuitatibus ad bene, commode, & cum dignitate viuendum, maximas afferunt vtilitates; Quare, vt ordo requirit, & vt antea proposuimus, aliqua ex Artibus depromenda nobis sunt.*

2 *Artium itaque omnium principium, est ratio & humana intelligentia habitu artis, quæ propterea rerum efficiendarum recta ratio definitur; finis vniuerse quarũdam est opus, quod post molitionem relinquitur; quarundam vero est sola actio.*

3 *Artium autem multa sunt genera, nam aliæ ad animum excolendum & informandum comparatæ sunt, vt Musica, Grammatica, ac reliquæ ingenuo & libero homine dignæ: aliæ ad corpus alendum, tuendum, & conseruandum, vt Agricultura, Ars pastoralis, Venatus, Piscatus, Ars coquinaria, Gymnastica, & Medicina: aliæ ad rem familiarem amplificandam, & ad commoditatem ac voluptatem inuentæ sunt, vt Nauigatio, Ars numaria, Ars fabrilis, Sutoria, Pictura, Cælatura, Sculptura & id genus aliæ: postremo aliæ ad vrbẽ cõstruendam & ciuitatem tuendam repertæ sunt, ut Architectura, Ars militaris, Mechanicæ seu machinarum disciplinæ, munitiones &c.*

4 *Harum autem, quædam principales sunt & quasi dominæ ceterarum, quas Græci* ἀρχιτεκτόνικας *appellant: aliæ*

sunt

sunt ministræ & quasi ancillæ, quæ principali inseruiunt. Principes artes, aliæ sunt vtentes & imperantes; aliæ non vtentes; sed operi efficiendo assistentes: administræ vero, quædam materiam suppeditant & præparant: quædam ex principalis artis præscripto opus conficiunt.

5 Denique, ne plures artium diuisiones consecter, aliæ sunt ingenuæ & libero homine dignæ; aliæ sordidæ & illiberales.

EX ARTE MILITARI. Cap. VIII.

1 EX omnibus artibus, Ciuitati maxime necessaria est ars militaris; vt ciues vtroque tempore salui ac tuti esse possint.

2 Eius finis est victoria, seu pax; munus vero Imperatoris, est strenue se gerere in bello, & apte ad consequendam victoriam decertare.

4 In optimo Duce requiritur strenui militis vis & robur, militaris disciplina, & Mathematicarum scientiarum notitia, præsertim Arithmeticæ, Geometriæ, Cosmographiæ, Astrologiæ, & Machinarum cognitio.

4 Exercitui vero quattuor maxime necessaria censentur, comeatus, bona valetudo, rei militaris scientia, & obedientia.

5 Comeatus, annona & alimentorum copia paratur; optima valetudo, a Medicis & Chyrurgis restituitur, conseruaturque copijs castrametandis salubrium locorum delectu; scientia militaris, arte comparatur, frequentiq; exercitatione in gymnico certamine perficitur; obedientia vero, legibus retinetur.

EX INSTRVMENTARIIS DISCIPLINIS; ac primum ex Grammatica. Cap. IX.

1 VMANAE intelligentiæ vis, ita natura comparata est, vt ex ignorantiæ tenebris ad sapientiæ splendorem sine alicuius adminiculo, & quasi instrumento peruenire non possit: id autẽ est oratio, & ratiocinatio; quæ duo nobis sunt instrumenta ad sapientiam comparandam: sed, quoniam ea rudia nobis a natura tribuuntur, arte & diligentia componenda & dirigenda sunt, vt scientias constituere, adiscere, & docere possimus; quod instrumentarijs disciplinis consequimur, Grammatica, quæ orationẽ, & Logica, quæ ratiocinationẽ dirigit.

2 *Grammatica enim est ars recte loquendi & scribendi, quæ versatur in sola oratione congruenti, eiusq; constructione, atque compositione.*

3 *Cõgruẽs aũt oratio spectatur vniuerse ĩ octo partib. orõnis.*

4 *Grammaticæ quattuor sunt partes, Orthographia, Prosodia, Ethymologia, & Syntaxis.*

5 *Ceterum vnicuique linguæ quædam proprietates conueniunt, vt sanctæ rerum proprietatem, & perfectiorem naturæ significationem notare, ac mysteria nominibus continere; græcæ, multa vno nomine significare; latinæ copiosa, pura, numerosa, & concinna oratio; italicæ vero, suauis, mollis, & comptus sermo.*

EX LOGICA. Cap. X.

1 LTERVM instrumentum ad scientias capescendas, est Logica; cuius subiecta materia, sunt rerum secundæ notiones, quatenus inseruiunt ad primas explicandas.

2 *Quare, cum tradat instrumenta sciendi, ad omnes scientias perfecte discendas atque tractandas, omnino necessaria est.*

Sunt

3 *Sunt autem vniuersè duo perfecta, & proxima certæ scientiæ comparandæ instrumenta, Definitio, & Argumentatio, ad quæ cetera omnia instrumenta cognoscendi commode reuocari possunt.*

4 *Propria vero ac perfectissima argumentatio, est tantum syllogismus, a quo ceteræ tres minus perfectæ ratiocinandi formæ Enthymema, Exemplum, & Inductio necessariam concludendi vim mutuantur.*

5 *Verum ad rerum scientiam speciatim consequendam, perfecta instrumenta, sunt Definitio & Demonstratio: Definitio, est oratio, quæ vocis, vel rei alicuius naturam proprie, dilucide ac breuiter explicat: Demonstratio, est necessaria conclusio scientiam afferens; vel ratiocinatio, quæ ex propositionibus, veris, primis, quæ probatione nō egent, notioribus, prioribus, caussisque conclusionis efficitur: eaque duplex est vna ex caussis, altera ex effectis.*

EX RHETORICA. Cap. XI.

1 *EX rationis, orationisque conformatione in actione posita, tres vberrimi fructus, & præclarissimæ facultates exoriuntur, eloquentia, seu eius exorandæ Ars Rhetorica, Historia, & Poetica.*

2 *Eloquentia instructa rebus, est præstantissima facultas maxime vtilis & necessaria in omni bene constituta Rep.*

3 *Quapropter Orator debet esse omnium rerum humanarū, ac diuinarum cognitione peritus.*

4 *Eloquentia enim, quæ non sit cum philosophia & sapientia coniuncta, inanis & ieiuna verborum poofluentia potius, quam eloquentia censenda est.*

5 *Tuebimur præterea quidquid scripsimus in quinque libris, alias a nobis editis, de Arte Oratoria.*

EX METHODO HISTORIÆ. Cap. XII.

1 *HISTORIA, cum homini ad rectam vitæ institutionem & ad ciuilem prudentiam comparandam; tum Reip. ad rerum gestarum memoriam conseruandam, adeo maximum affert adiumentum; vt non modo vtilis, sed etiam necessaria sit.*

2 *Historia vero, quæ est accurata & perpetua rerum narratio, proprie ac speciatim annalium Vrbis narrationem, id est rerum, quæ singulo quoque anno in aliqua Ciuitate, vel regione a ciuibus geruntur, & insignium euentorum expositionem continet.*

3 *Eius tres præcipuæ ac perpetuæ leges traduntur, prima, vt factum & res sicuti gesta est, vere narretur: altera, vt loci Corographia, vbi res gesta est, accurate describatur: postrema, vt tempus adijciatur, ac distinguatur.*

4 *Historicus autem summo iudicio, summaq; prudentia, & multarum rerum præcipue humanarum cognitione instructus, summaq; eloquentia præditus esse debet; & tenere hominum propria nomina, locorum, & temporum.*

5 *Historici partes, sunt res gestas vere ac syncere exponere, nihil gratia vel odio ductus commentitium addendo, vel quod memoria dignum sit, prætereundo; atque adeo simpliciter narrare, vt lectori libere iudicandi locus relinquatur.*

EX POETICA. Cap. XIII.

1 *POETICA, præcipue in fabula, & imitatione sibi propria versatur.*

2 *Poeticæ vero imitationis tria oĩno sunt genera, quibus alicuius mores effingi possunt, vnũ actionis, alterum*

rum sermonis, postremum cantus siue modulationis.

3 *Eius autem species seu formæ, septem potissimum numerantur, Epopœia, Tragœdia, Comœdia, Dithyrambica, Auletica, Citaristica, & Orchestrica.*

4 *Tragœdiæ partes, sex numero sunt, fabula, mores, dictio, sententia, apparatus, & melopœia.*

5 *Est autem Tragœdia Epopœia præstantior.*

PRONVNCIATA, in quibus dissentimus a Scolasticis Theologis

D. Thoma Aquinate, Aegidio Columna, Henrico Gandauense, & Ioanne Scoto.



VONIAM non tam vllius philosophi auctoritas in studijs & disputando, quam rationis momenta spectanda sunt, præstatque vel auctore Arist. semper pluris facere ueritatem, quam amicitiam & auctoritatem; propterea ita a principio studiorũ nostrorum rationem instituimus, vt nullius sententiæ vel auctoritati addicti, iuraremus in verba Magistri; sed quid in quoque esset præclarum, probaremus, quod vero minus, repudiaremus. Ea de caussa præcipua quædam, in quibus a præstantissimis philosophis dissentimus, proponimus excutienda.

1 *Deus Opt. Max. præpotenti sua vi, re ipsa potest efficere* Negāt fere ocs.
aliquid infinitum, quod sit continuatum vel deiunctum.

2 *Angeli, numero differunt, non autem specie.* Negat D.Th.1. p.q.50.ar.4.

3 *Beati, non ita necessario delectantur, vt Dei vi absoluta* Ait Aegid.qdli. 5.q.8.
delectatio ab eis separari non possit.

4 *Res creatæ, ex æternitate non fuerunt præditæ essentia distincta a diuina natura, qua referrantur ad Deum tamquam ad exemplar.* Ait Henr. qdl. 1.q 8.& quod. 3.q.9.

5 *Diuina essentia, nullo modo videri potest absq; personis.* Ait Scot.1. sen. d.1.q.2.art.2.

Ab Academicis discrepamus in ijs.

Ait Plat. in Parme. Alcin. de doct. Plat. c. 9.

1 *EO non modo, tribuendæ sunt ideæ, quibus distincte species cognoscat; sed etiam distincta singulorum cognitio.*

2 *Vniuersalia non sunt ideæ separatæ.*

In Menon. & phæd.

3 *Nostra sciētia nō est a natura recordatione.*

In Timęo. 10. de Repub. & in phæd. idē Iamb. & Syri.

4 *Cælum non constat ex elementis, vel ex purissima natura & eminentijs qualitatum elementorum: nec item cælestes orbes, nec singulæ stellæ anima proprie constant, quæ sit eiusdem generis cum hominis anima.*

Ait Ploti. Enea. 4. lib. 4.

5 *Sensus est perpessio, non autem actio solius animæ.*

A Peripateticis Græcis

Alexandro, Ammonio, Philopono, Simplicio, & Themistio.

Ait Alex. refer. Auer. 3. met.

1 *VATTVOR primæ qualitates non sunt elementorum formæ essentiales.*

Negat Ammo.

2 *Definitio, non autem demonstratio est præstantius instrumentum sciendi.*

Ait Philop. 2. phy. com. 1.

3 *Non est imminuta & manca Naturæ definitio tradita ab Arist. nec alia verba addenda sunt.*

Ait Simpl. 2. phy. com. 3. & 16.

4 *Natura non est tantum principium patiendi; sed etiam agendi eiusq; definitio optime congruit animæ.*

Ait Them. l. 2. de ani.

5 *Cor non est instrumentum sensus tactus.*

Positiones aduersus Peripateticos Arabes

Auicembron, Auempacem, Alpharabium, Auicennam, & Auerroem.

Ait Auicemb. refer. Auer. 9. met. 7.

1 *OLVS Deus non producit & efficit res inferiores; sed etiam naturales caussæ efficientes vi sua conspirant ad res producendas.*

Nēgāt Auemp. & Alphar. refe. Auer. 4. phy. 43.

2 *Vltimæ sphæra non modo tribuendus est locus*

intra

intra se, sed etiam extra se.

3 *Materia prima non habet imperfectam formam corporis sibi coæuam.* Ait Auic. 1. suæ suff. cap. 2. & 2. tract. met. c. 2.

4 *Propria hominis forma non est cogitandi vis a mente & intelligentia distincta.* Ait Auer. li 3. de ani. com. 5. 6. 20. 33.

5 *Animal ex putredine & ex semine procreatum, est eiusdem speciei.* Idem negat. 8. phy. com. 46.

Aduersus opinionem Peripateticorum Latinorũ.

Boethij, Alber. mag. D. Thomæ, Aegidij, Scoti, & Ochani.

1 RERVM *status seu existentia, re ipsa non distinguitur ab essentia.* Aiunt plerique Latinorum.

2 *Totum, non est aliqua natura ab ipsius partibus re ipsa distincta; sed est ipsa met copulatio partium.*

3 *Cognitio quinque Vocum non modo est vtilis, sed omnino necessaria ad Logicam addiscendam.* Neque Boet. in proœ. porph. a se trans.

4 *Cum corpus viuens augetur, vniuerse non manet eadem numero viuentis forma.* Ait Albe. opus. de nutr. tr. 1. c. 2. & tr. 2. c. 1.

5 *Materia prima, non est pura potestas.* Ait D. Th. 2. sẽ. d. 12. q. 4. 1. p. q. 7. art. 2. ad. 3.

6 *Principium constitutionis indiuidui, non est materia, sed forma.* Ait idẽ 1 p. q. 3. ar. 2. & 3. & Aegid. in qd. q. 11.

7 *Principium & caussa cur aliquid volumus, non est res ab intelligentia cognita, sed voluntas est caussa efficiens suarum appetitionum.* Idem 3. quodl. q. 16.

8 *Animæ facultates nec sunt idem omnino cum subiecto, nec ratione tantum; sed re ipsa distinguuntur.* Ait Scot. 2. sen. d. 16. q. 1.

9 *Species rerum, quæ intelligi possunt, non imprimuntur nostræ intelligentiæ.* Ait idẽ. 1. sen. d. 3. q. 6.

10 *Malum, qua malum est, sub voluntatem & appetitionem nostram non cadit; sed quoniam id, tamquam naturæ contrarium nolumus atque refugimus.* Ait Ochan. 3. sen. d. 13.

Aduersus opinionem Interpretum Iuris Pontificij.

Gloss. Io. Andr. Innocent. Abbat. Felin. & Deci.

Aiunt fere omnes gl. & Ab. in c. Eccles. S. Mar. ver. personis ex. de constit.



1 *ATRIMONIVM Clericorum non gaudet priuilegijs ecclesiasticis; sed ea tantum bona, quorũ titulo Clerici sacros ordines susceperũt.*

Ait Io. And. i c. si pater. de test. in 6.

2 *Compendiosa substitutio facta impuberi a pagano uerbis directis sustineri non potest post pubertatem.*

Ait Innoc. in c. ceterũ de Iudi.

Ait Abb. in c. cũ sit gener. n. 4. de for. compet.

3 *Ecclesia iure non debet cognoscere quancunque oppressionem Clericorum & pauperum: unde qui inuadit patrimonium Clericorum, non sortitur mistum forum.*

Negat Felin. in c. Antigon⁹. ex. de pact.

4 *Pactum nudum parit actionem ex iure canonico.*

Negat Dec. in c. in pręsentia nu. 201. de probat.

5 *Condicio, si decesserit sine liberis, vera est in Ecclesia, non in filijs naturalibus.*

Aduersus opinionem Interpretum Iuris Cæsarei.

Accur. Bart. Bal. Alex. & Dec.

Aiunt fere oẽs.



1 *VPILLARIS expressa non excludit matrem a legitima.*

Negant omnes antiq & Accur. in auth. nisi tricẽnale. C. d bon. mater.

2 *In iure ciuili ex præscriptione non solum acquiritur vtile, sed etiam directum dominium.*

Ait Bart. in auth. cessante C. d leg. hær. l. post consang. §. hæred. ff. d leg. hęr.

Ait Bal. in l. humanitatis in tui tu in 3. col. ver. 4. opp. C. de impuber.

3 *Filij fratrum, si nullus patruus existat, pro capite, non autem pro stirpe adeunt patrui hæreditatem: pater vero, cum reliquit aliquid filio nomine legitimæ, non videtur reliquisse iure institutionis.*

Negat Alex. in l. 1. nu. 37. ff. si cer. pet.

4 *Proprie creditor est is, cui ex legato, vel ex delicto aliquid debetur.*

Ait Dec. in l. 1. ff. si cert. pet.

5 *Rubrica generalior nigro, nõ semper restringitur a nigro.*

PARADOXA.

1 HONESTVM propter voluptatem eſt expetendum.
2 Omnia fortuita, ſunt omnino neceſſaria.
3 Qui vnum non intelligit, nihil intelligit.
4 Cælum, quod perpetuo mouetur, ſemper quieſcit.
5 Terra, cum grauiſſima ſit, omnium leuiſſima eſt.
6 Dimidium plus toto.
7 Mors eſt in bonis numeranda.
8 Melius eſt otioſum eſſe, quam nihil agere.
9 Aequalitas omnia perdit.
10 Qui vult cælum aſcendere, debet e cælo deſcendere.

PROBLEMATA.

1 VTRVM Deus humanam carnem aſſumpſiſſet, niſi Adam peccaſſet.
2 Vtrum quantitas continua infinite ſecari poſſit.
3 Vtrum ſit Fatum, Caſus, & Fortuna.
4 Vtrum ſit vna ſcientia Mathematica, communis Arithmeticæ, & Geometriæ.
5 Vtrum pecuniarum copiæ ſint appellandæ diuitiæ.
6 Vtrum ius accreſcendi præcipue oriatur a mente teſtatoris, an ab ipſa lege.
7 Vtrum donatio omnium bonorum præſentium & futurorum facta eccleſiæ ab homine ſui iuris, ſuſtineri poſſit.
8 Vtrum ignoranti competat beneficium reſtitutionis in integrum contra præſcribentem, ex clauſula, ſi qua mihi iuſta cauſſa.
9 Vtrum Logica ſit ars, vel ſcientia.
10 Vtrum natura vniuerſalis æqualiter & pari ratione, an ab vno dicatur de quinque vocibus.

AENIGMA.

ÆNIGMATA INTERPRETANDA.

Psal.71.vers.16. 1 *ET erit firmamẽtum in terra in summis montium.*

Zoroast. 2 *Paterna mens cunctis inseminauit vinculum igni grauis amoris.*

Trism. 3 *Et extra ipsum quidquam, & ipsum extra quidquam.*

Orpho. 4 *Tres sunt Mundi Principes, trium ordinum domini, Orimasis, Mithris, Arimanis.*

Plat. 5 *Anima viuit cum Saturno, cum Ioue, Marte, Venere, & Mercurio.*

Finis Libri Secundi.



M. ANTONII BRAGADENI, PATRICII VENETI, DE HOMINIS FELICITATE

Liber Tertius.

IN QVO DE REPVBLICA DISSERITVR.



De felicitate in actione & Reip. administratione sita. Cap. I.



OMO, qui solus ex omnibus animantibus natura factus, diuinoq; consilio destinatus est ad æternam felicitatem; vt hic primum eam meditari, perfectoque viuendi modo imitari posset: deinde in cælestium consortio ea frueretur æuo sempiterno; hoc præcipue singulari munere donatus est, quod Præpot. Deo similis effectus sit, ac totius diuinitatis imaginem præ se ferat. Nam quemadmodum æterni Patris fœcunda memoria, Filij intelligentia, & Sacri Spiritus amore diuinitas omnis continetur; ita homo ad totius diuinitatis adumbratam imaginem referendam, triplici animi facultate, Dei concessu ac munere præditus est, memoria, intelli-

intelligentia, & voluntate. Harum ui humana mens primum se ipsam nouit & amat: deinde rerum conditarum naturam perscrutatur, in ijsq; diuinitatis vestigium intuetur: postremo Deum summum opificem agnoscit, cum ipsoq; arcto amoris vinculo copulatur; ex quo hominis animo insidet inustum diuinæ Trinitatis simulacrum. Est autem homini cum DEO similitudo, tum quia iustus, rectus, atque immortalis animus est ei ab immortali Deo datus, & virtutis amor ac studium ingeneratum: tum quia rationis beneficio singulari, animantes rationis expertes longe antecellit; quin omnium rerum, quæ intra Lunæ complexum continentur, administrator & princeps a Deo constitutus est; vt qui conditorem suum multis alijs rebus maximisq; muneribus exprimeret, summum eius imperiū ac prouidentiam imitando, eiusdem similis etiam potestate & gubernatione redderetur. Quemadmodum autem in diuina prouidentia adeo summam potestatem, sapientiam & bonitatem agnoscimus; vt Deum cuncta posse, scire, ac velle explora tum sit: ita homo triplici habitu efficiendi, contemplandi, & agendi, quibus, ingenium, mentem, ac voluntatem perficit, & vniuersa cognoscere, efficere, ac moderari potest; ad summam Dei prouidentiam & similitudinem accedit. Nam primum earum rerum, quas natura nobis occultauit inuestigatione, ceterarumq; plane omnium, quæ in cælo, mari, terrisq; reperiuntur, contemplatione diuinarumq; rerum scientia, homo diuinam sapientiam æmulatur: deinde viribus ingenij, quibus in artium effectionibus, eius manu atque opera accedente, ex rudi materia insignia rerum simulacra effingit; summam Dei potentiam modo quodam adumbrare videtur: postremo virtutibus adiunctis, honestisq; actionibus sponte susceptis, rerumq; ciuilium administratione, diuinam bonitatem ac procuratione̅ imitatur, insignemq; immortalis Dei similitudinem refert; vt iure mortalis Deus in terris sit, ac dici mereatur. Quocirca ei, qui diuinam hanc similitudinem, quæ summa est hominis perfectio atque felicitas, exprimere & consequi studet; non satis est

tis est vmbratilem solitariamq; vitam in rerum contemplatione positam degere, vel in artium operibus tantum elaborare; sed par est in primis præclaris actionibus illis insistere, quibus, & sui, & aliorum hominum mores formantur, & familia bene instituitur, & Resp. recte administratur. Quæ quoniam ex Ciuili scientia deriuantur, satisq; de rerum multiplici cognitione, & de artium operibus, duobus libris De Rerum Varietate diximus, quibus Dei sapientiam & potestatem infinitam æmulamur; nunc vt similes Deo vndequaque pro viribus esse possimus, de Reip. procuratione & Legibus, quibus diuinam administrationem imitamur, differendum est: implorato tamen prius Dei auxilio, a quo tum omnium maximarum rerum; tum præcipue Ciuitatum principia ducuntur.

De prima constitutione Reip.; ac primum Quid sit Resp., quid Ciuitas, & quæ huius primordia. Cap. II.



ESPVBLICA, est recta magistratuũ & eius præcipue, qui summam obtinet potestatem constitutio, totiusq; ciuitatis ad communem felicitatẽ legibus moderata descriptio.

Ciuitas vero, quæ Reip. subiecta materia existimatur, nihil aliud est, quam familiarum necessariarumque rerum suadente natura in vitæ communione, vnius Vrbis legibus congregatarum, ad bene beateq; viuendum summa potestate administrata multitudo.

Quæ ab immortali Deo a primo ortu profecta est: deinde a natura paruis initijs inchoata: tum hominum mutuis rerum & officiorum indigentijs constituta, & legibus ad extremum aucta, temporisque diuturnitate ad summum decus & ornamentum euecta.

Nã principio idẽ oĩum parẽs Deus, cũ vniuersum Orbẽ terrarũ tãquam magnã Vrbẽ & cõe domiciliũ hoĩum condidisset;

a se cōſitum ēt voluptatis omniumq; commodorum locum delegit, qui terreſtris Paradiſus appellatur, tamquam Vrbem & ſolum ciuitatis, in quo genus humanum vitæ ac rerum cōione conſeruaretur: in eoq; hominem collocauit, vt quemadmodum ipſe alijs impertitur bonitatem ſuam immenſam; ita homo virtute præſtans, & ſapientiam communicaret, & iuſtitia atque prudentia eſſet alijs adiumento: atque hoc modo recte agendo, Vrbem diuino munere conceſſam tueretur & cuſtodiret.

A natura vero ciuitas originem ducit, quoniā homo eſt animal ſuapte natura ciuile, aptum ad cœtus, natumq; ad agendū: deinde, quoniam congregationum inſtituendarum cauſſa, hominem ex omnibus animantibus ſolum, rationis atque ſermonis natura voluit eſſe participem.

Nam ratione primum homines quid bonum, malumue ſit ſentiunt; quid iuſtum, quid iniuſtum tacito ſenſu dijudicant; quod arbitrātur bonum tamquam ſuarum actionum ſcopum ſibi proponunt, & vt adipiſcantur omni ſtudio atque labore contendunt: hoc autem, quamuis ex tribus bonorum generibus, quibus perfecta felicitas cōtinetur, tantum in animi bonis poſitum ſit; cum ſola virtus beatum hominem efficiat; tamen ſi corporis & fortunæ bonis cumuletur, facile intelligunt fore beatiſsimam vitam, longeq; iucundiorem. Quare vt his virtutis ornamentis & rerum externarum copijs homines abundarent, vnum in locum congregati, in vitæ ac rerum communitate coaluerunt.

Iam vero natura ingenerauit homini libidinem cōiunctionis & procreandi appetitum, ratioq; ſuadet homini connubia ineunda, vt filiorum ſuſceptione in illis oris & animi ſui effigiem intueri, ſeq; immortalem in genere conſeruare ſuo poſſit; exuſcitatque natura præcipuum quendam amorem & curam eorum, quæ procreata ſunt; vt ſumma ope nitantur parare ea, quæ neceſſaria ſunt ad cultum & victum, quæ homini in ſolitudine atq; in agro vitā degenti ſuppetere nullo modo poſſunt.

Oratio vero, homini eſt a natura tributa ad explicandum

quid

quid bonum, quid utile, quid honestum, quid iustum, quid iniustum, & animi sensa inter nos communicanda docendo, ratiocinando, disceptando, iudicando; quod hominem homini conciliat, deuincitq; naturali quadam orationis & vitæ societate.

Denique, vitæ necessitate cogente & opportunitatibus ac rerum egestate, sunt hominum constitutæ societates; vt cum rerum permutatione & affluentia: tum dissimilium officiorum vicissitudine homines sibi mutuo prodesse possent. Atque ita Dei, Naturæ, & Hominis conspiratione Ciuitas constituta est.

De partibus Ciuitatis, ac primum de Familia. Cap. III.



IVITAS omnis duabus ex partibus conflatur, ex familijs, & vicis; quæ sunt seminarium ciuitatis, & initia nascentis Reipublicæ.

Familia, est plurium patrisfamilias imperio subiectorũ, & rerum domesticarum ad vitam quotidianam, & priuatam vtiltatem naturalis societas.

Omnis autem familia conficitur vniuerse duabus ex partibus personis, & re familiari.

Personæ, sunt paterfamilias seu maritus & dominus, uxor seu materfamilias, liberi, & serui: ex quarum uaria copulatione tres existunt minimæ familiæ partes, ac primæ consociationes specie distinctæ, una domini & serui ad usus & commoda uitæ quotidianæ, iure atq; natura constituta, quæ herilis potestas seu dominatus appellatur; altera uiri & uxoris procreationis & speciei conseruationis caussa, naturali coniunctione copuluta, quæ uxoria seu coniugalis potestas dicitur: postrema patris & liberorum, agnatione & iure sanguinis iuncta, quæ patria potestas nuncupatur.

Res autem familiaris, domicilium & opes complectitur. Domicilium seu domus, est tectum, quod homines initio necessitate coacti, sibi exædificarunt ad uitæ usus & commoda, et ad pro-

propulsandas cæli iniurias, ferarumq; iucursiones; quod principium & origo Vrbis existit.

Opes & res familiæ necessariæ, sunt ea omnia, quæ ad priuatum cultum, ad victum, & ad curam domesticam pertinent.

Quæ duplici ratione parantur, vna naturali & arte perfecta, quæ in alimentorum, & rerum quærendarum scientia versatur, vt agricultura, venatu, aucupio, piscatu, & id genus alijs: altera artificiosa tantum, quæ lucrum & quæstum, atque pecuniam & artem parandarum diuitiarum propositam habet, vt artibus & opificijs.

De Vico. Cap. IV.



LTERA pars Ciuitatis, est vicus, qui describitur plurium familiarum cohærentium & vnius senioris potestati ob sanguinis coniunctionem subiectarum, diuturni vsus caussa consociatio.

Nam, sicuti ex pluribus personis in vna domo, certa œconomia sociatis, conflatur familia; ita ex multis continuatis propinquorum familijs, & a viro maximo natu administratis, vicus coalescit.

Cum enim viri atque uxoris coniugium, liberorum procreatione, consecutæ essent fratrum, sororumque coniunctiones: postea nepotũ, & patruelium: tum consobrinorum & sobrinorum affinitates, & ab vna radice familiæ plures propagatæ essent; nec vnius domicilij tecto omnes stare possent; alias domos priori cohærentes ob vitæ necessitatem sibi construxerunt, & ex prima in has exierunt, senioris tamen imperio ob agnationis vinculum obtemperantes: ita domorum continuatione, & familiarum coniunctione vici extiterunt.

Sed, cum temporis diuturnitate, celebratis connubijs, late propagarentur, adeoque multiplicati homines excrescerent, ut in vicis ac pagis capi non possent; in vnam vrbem ac ciuitatem

tem legibus temperatam communi consensu coiuerunt: atq; ita maris & fœminæ prima coniunctio, quæ familia nuncupatur; & propinquorum propagatio, ex qua vicus effluxit, principium est & origo ciuitatis.

De rebus communibus, & necessarijs in Ciuitate. Cap. V.



VONIAM, qui primum ab incultiori vita ad ciuilem societatem traducti sunt, non modo viuendi, sed etiam bene viuendi caussa in unam Vrbem conuenerunt: propterea quæ necessaria sunt ad uictum, & cultum, ac dignitatem, & quæcunque pertinent ad commode, bene, beateque uiuendum, in ciuitate omnino suppetere debent: sordida enim planeque misera eorum uita futura est, si quæ necessitas tantum expostulat, nõ etiam quæ dignitas & ornatus, illis ciuilis communio suppeditet.

Hæc autem dabit agricultura primum, qua parantur alimenta ex ijs, quæ intra, extraque nascuntur: deinde merceatura, quæ nauigatione & uectione eorum, quæ importantur & exportantur, ac rebus contrahendis, & permutandis, mercium & rerum copiam affert ciuitati: postremo artium uaria genera & opificia, quamplurima commoda, ornatum, & rerum omnium affluentiam artificum opera in ciuitate subministrant.

Quis optimus sit Reip. finis. Cap. VI.



VIVSCVNQVE optimæ Reip. finis propositus, est summum bonum; cum enim societas omnis boni alicuius caussa constituta sit; ea vel maxime, quæ princeps est, & ceteras omnes continet, cuiusmodi est ciuitas, summum præcipuumq; bonum propositum habere

bere

bere debet: omnium autem præstantissimum est diuinus cultus, seu vita cum virtute coniuncta, quæ habeat homini quod satis est ad bene beateque viuendum, tantumque rerum externarum copijs abundet, vt qui in ciuili societate viuit, actiones virtuti cõsentaneas commode, ac diuturne exercere posit.

Sed intelligendum est, magis bonorum animi, quam corporis & fortunæ rationem habendam esse; siquidem virtutes non a bonis externis; sed externa ab animi bonis quæruntur, & conseruantur, & beata uita potius ad eos pertinet, qui moribus virtutumq; ornamẽtis instructi, longe ceteros antecellunt, & modica diuitiarum habent adiumenta; quam, qui virtute & veris animi bonis destituti, maximis externorum bonorum copijs abundant.

Quare, cum optima quæq; Resp. beatam vitam propositam habeat tamquam rerum agendarum vltimum: vnicuique ciuium publice, ac priuatim, optimum vitæ genus cum virtute cuniunctum maxime expetendum est, atque ineundum.

Nam facile intelligi potest, tum denique optimam ac perbeatam fore ciuitatem, cum huiusmodi finem fuerit consecuta.

De Reip. effectricibus caussis. Cap. VII.



EFFICIENTES Reip. caussæ tres eædem sunt, quæ & ciuitatis, DEVS, Natura, & Hominis prudentia; sed ratione diuersæ.

Primum itaque Deus, cum summum optimumq; imperium teneat vniuersi Orbis terrarum, et hominem totius Mundi quasi magnæ ciuitatis ciuem & administratorem effecisset; rectam ciuilium rerum procurandarum rationem ei commonstrauit, eumque suæ administrationis imitatorem constituit.

Natura vero iusti atque iniusti notitiam, qua omnis Resp. continetur, animis nostris ingenerauit: deinde insitam prudentiam & vim ad prospiciendum, consulendumq; tribuit: po-

stremo

ſtremo in rerum naturalium ſerie, & ceterorum animantium principatu, Reipub. bene adminiſtrandæ ſpeciem quandam ac imitationem proponit.

Denique Hominis prudentia leges condit, principatum & magiſtratus conſtituit, iura ciuilia deſcribit, mala imminentia proſpicit & propulſat, ius dicit, omnemq; ciuitatē moderatur.

De forma Reip. ſeu de hominis imperio. Cap. VIII.



OMINIS imperium, quod ei non modo in bruta animantia, ſed etiam in ceteros homines ſingulari munere a Deo conceſſum eſt, uniuerſe duorum eſt generum, vnum naturale, alterum ciuile.

Naturale, eſt hominis conſilio & virtute præſtantis inter alios virtute atque prudentia inferiores a natura conſtitutus dominatus.

Nam, qui ratione & prudentia præſtat, & conſilio poteſt longe proſpicere, ille iure naturæ præeſt & imperat; qui vero munitus eſt a natura viribus corporis ad conſilij iuſſa obeu ada & exequenda, natura paret & ſeruit.

Ciuile autem, nihil aliud eſt, quā legitima & ſumma v nius, vel plurium ad communem ſubiectorum ſalutem, ciuitatis rectæ adminiſtrandæ ciuium conſenſu tradita poteſtas.

Hoc imperij genus, vel legibus & iure ciuili, vel ſorte, vel ſanguinis & hæreditario iure, vel delectu & ſuffragijs defertur: eadem eſt ratio ſeruitutis.

Ceterum ciuile imperium, neceſſario conſtat ex principe & ſubiectis populis, ſeu adminiſtratore & ciue ac plebe; quor um alter ſine alterius ope, nullo modo poteſt conſiſtere.

De Principe & gubernatore. Cap. IX.



RINCEPS, est summus rerum ciuilium administrator, iure ciuili constitutus, qui subiectos populos apte ad optimum & commune bonum dirigit.

Atque is in ciuili hominum societate omnino necessarius est; vt communi bono prospiciat, ius dicat ceteris ciuibus, & multitudinem a potentioribus tueatur.

Optimi principis munus, est præcipere, præmijs afficere, summos cum infimis coniungere & pari iure retinere, summoq; cum honore præesse.

Huic vero, cui Reip. gubernacula comissa sunt, generatim duæ præcipue virtutes necessariæ censentur, probitas, & copiose loquens sapientia.

Probitas quidem & vitæ integritas, quia Principum vitijs inficitur ciuitas vniuersa, virtutibus autē, vt pietate in Deū, iustitia, æquitate, fortitudine, temperantia, clementia, & liberalitate perficitur & conseruatur; cum enim ciues Principum morum asidui spectatores & imitatores existant; qualescunque principes & summi ciuitatis viri sunt, tales ipsi quoque plerunque solent euadere.

Prudentia vero desideratur & non indiserta doctrina, vt ea longe prospiciat, prudenter saluti Reip. consulat, leges constituat, cum dignitate sententiam dicat, iura describat, bonos tueatur, laudet uirtute claros, uituperet improbos, & summam dignitatem æquet rationis præstantia, & orationis splendore illustret.

Quæ omnia principis munera absq; eruditione, eloquentia, & probitate recte obire non potest, nec laudem aut honorem meretur; cum hæc virtuti præcipue debeantur.

Quid sit ciuis, & cuiusmodi esse debeat. Cap. X.



IVIS generatim, est homo liber ac socius vitæ ac rerum communionis, qui legibus viuit & immunitatibus ciuitatis pro suo iure fruitur.

Ciuium plura sunt genera; nam alij quodammodo ciues nominantur, vt ij, quibus inter ipsos est officij iurisq; societas, & eiusdem Vrbis ac vitæ communio; sed eis non patet aditus ad honores & magistratus: alij sunt ciues simpliciter ac proprie, qui ciuis nomine maxime digni sunt, vt ij, qui iudicij, magistratusq; possunt esse participes.

Vtilis autem ciuitatibus, salutarisq; ciuis, qui aliquando præest & imperat, aliquando paret, tribus præcipue virtutibus præditus esse debet, temperantia, fortitudine, atque iustitia prudentia moderatis.

Temperantia, vt cum prosperis in rebus, tum in aduersis modum adhibeat, omnibusque in rebus sciat inter nimium ac parum seruare mediocritatem.

Fortitudine, vt Reip. salutis caussa, considerata pericula animo infracto suscipiat, mala & incommoda patriæ obuenientia, & quicunq; casus inciderint, eos perferat toleranter; semperq; Remp. siue bellicis in rebus, siue in vrbanis difficultatibus quassatum & circumuentam, omni studio & contentione adiuuare conetur, consilio, & auctoritate subleuet, succurrat saluti communibus facultatibus, opibus, amicis, & oblitus salutis & commodorum suorum, omnes labores & cruciatus perferendos, mortem denique ipsam oppetendam potius existimet, quam officium & pietatem in patriam deserat.

Iustitia denique, vt ius cuiusq; & æqualitatem omni ratione colendo, & retinendo pulchre, honeste atque legitime regat, & gubernetur; & optimi rectoris, ac boni subditi explere possit officium.

Ciuis autem simpliciter bonus, & omni ex parte perfectus, cunctis virtutibus instructus esse debet.

Munus vero optimi ciuis, est magistratui obtemperare, leges seruare, religionem colere, pacem inter ciues atq; concordiam retinere, & publica officia domi forisque recte & apte exequi ad ciuitatis vtilitatem.

Vnde in vna quaque Rep. praeclari ciues habentur, qui bene imperare & parere possunt.

Diuersam quodammodo esse virtutem boni viri & omni ex parte boni ciuis; simpliciter vero eandem. Cap. XI.



ROBI viri & quodammodo boni ciuis omnino eadem virtus censenda non est: nam, cũ variæ sint Rerump. formæ, vna consimilis omnium ciuium virtus esse non potest; siquidem ciuium virtus ad cuiusq; Reip. peculiarem administrationem referenda est atq; accommodanda.

Præsertim, cum boni ciues aliqua parte illi etiam habeantur, qui solertia atque ciuili prudentia insita a natura, vsuq; comparata præstantes; optime in male constituta Rep. versantur, tametsi virtutem non sint assecuti, ex qua solum viri boni proprie nominantur.

Neque vero cuncti vna eademq; virtute præditi esse possunt, nisi etiam sint ciues vniuersi similes omnino inter se; quod fieri in vnaquaq; Rep. nefas est: ciuitas enim ex plurib. personis, dissimilibusq; rebus, partibus, & muneribus a ciuibus aptis administrandis constituitur.

Ceterum virtus simpliciter boni ciuis, qui in bene constituta Rep. ex legum salutarium præscripto magistratum gerit, eadem simpliciter est ac boni viri, & non nisi ratione vir bonus ab optimo ciue discrepat; vtrique enim solida ac germana virtus proposita est, quã ambo omnibus in rebus honestis actionibus

nibus adipisci conantur.

Quoniam vero demonstratum est eandem simpliciter boni viri ciuisq; optimæ Reip. esse virtutem; profecto eadem ratione, ijsdemq; rebus vir & ciuis simpliciter bonus efficitur, quibus regalis potestas, aut optimatum, & populorum optimorum ciuitas constituitur, atque perficitur.

De plebe. Cap. XII.



LEPS, est infimorum hominum Vrbem salutis caussa inhabitantium, & Reip. legibus subiectorum, in vitæ cōmunitate congregata multitudo.


Cuius præcipua munera, sunt legibus & magistratibus parere, timere, honore afficere, antiquissimamque habere patriæ & ciuitatis salutem.

Plebis autem partes, sunt quattuor ceteris præstantiores & pacis præsertim tempore necessariæ, agricolæ, artifices, mercatores, & mercenarij.

Totidemque sunt ad bellum vtiles, equites, grauis armaturæ milites, leuis armaturæ pedites seu ferentarij, & nautici.

Cum enim duo genera præliorum sint, terrestre, & nauale; terrestre eget equitatu & peditatu; peditatus autem, vel est grauis, vel leuis armaturæ: Naualis vero expeditio requirit plures nauticarum rerum peritos.

Finis Libri Tertij.



M. ANTONII BRAGADENI, PATRICII VENETI, DE HOMINIS FELICITATE

Liber Quartus.

DE DIVISIONE, ET GENERIBVS RERVMP. ac primum

Quot, & quæ sint imperiorum genera, vel Rerump. formæ. Cap. I.



VONIAM Resp. est ordo multorũ Vrbem inhabitantium, & plurium in communi cœtu legibus sociatorũ multitudo: pro dissimili ordine, varioque statu hominum, qui ad Remp. constituendam conspirant; variæ quoque Rerump. formæ, & dissimiles administrationes existunt.

Harum autem quædam simplices ac primæ sunt; quædam hominum arbitratu ex simplicibus permistæ.

Simplices, omnino tres numero sunt optimæ & rectæ, Regnum, Optimatum status, & Resp. popularis legibus temperata: totidem item prauæ & rectarum conuersiones Tyrannis, Paucorum factio, & Popularis potestas sine legibus.

Necesse est enim in ciuitatibus vnum esse, penes quem summum sit imperium, vel paucos, vel certe multos. Si vnus iure legitimo rerum potiatur, publicæq; vtilitatis caussa præsit; Rex regaleque imperium appellatur: quod si vi & iniuste is

teneat

teneat principatum, omnia ad suam vtilitatem rapiens; Tyrannus tyrannicumque imperium dicitur: si vero pauci virtute præstantes ad communem populorum salutem, imperium dirigunt; ij optimates & optimorum potestas nuncupatur: cũ autem ij suis commodis seruiunt; pauci potentes & paucorũ locupletum factio exoritur: denique si multi optimis legibus imperant, & id quod optimum est ciuitati procurant; existit ea, quæ communi Reip. nomine honestatur: si vero pauperum commodis consulunt, & bonum commune non spectant; sed sine legibus pro libidine administrant, popularis potestas efficitur.

Harum, tres imperiorum formæ Regnum, Aristocratia & legitima Resp. cum bonæ & iustæ sint, vere ciuitatis & Reip. nomen tenent; reliquæ vero tres prauæ, sunt potius degenerationes & corruptelæ administrandi, & verbo, non re ciuitates ac Resp. nuncupantur.

Mistæ autem Resp., pro varia ex simplicium permistione, variæ & multiplices existunt.

De optimo vnius dominatu, vel de Monarchia, & Regno. Cap. II.



PTIMVS vnius dominatus, in duas imperandi formas distinguitur, in Monarchiam, & Regnum: qui enim totius est Orbis terrarum dominus, moderator, & arbiter; is Monarcha, eiusq; dominatus Monarchia proprie nuncupatur: qui vero summa quidem potestate præstat, sed in una vel pluribus tantum certis ac definitis ciuitatibus; is Rex uel Princeps, eius uero status & administratio, Regnum & Principatus apellatur; sed utriusque est eadem pene ratio; quare de Regno potissimum uerba faciemus.

Regnum, seu regia potestas, est rectum unius iuste regentis populos libere obtemperantes, initio fruendæ iustitiæ & salutis caussa a multitudine institutum imperium:

Quod

Quod suapte natura longe omnium optimum ac præstantissimum existimatur: est enim diuini, ac naturalis imperij simulacrum. Nam, quemadmodum unius præpot. Dei prouidentia, omnis Mundus administratur, & diei unicum Solem, nocti uero Lunam, cunctisq; congregabilibus animantibus regem unũ præesse cernimus: ita consentaneum est unum summum atque præstantem inter homines obtinere principatum.

Hæc autẽ procuratio, cum præclara est & salutaris; tum diuturna esset, si in demortui Regis optimi locum, alius æque probus ac uirtute præstans sufficeretur: sed quoniam optimo Regi alius improbus plerunque succedit; propterea in tyrannidem aliquando deflectit.

Optimus autem Rex, est uir bonus ac princeps, iure ciuili constitutus, qui publicis commodis consulit, & subiectos populos apte ad summam felicitatem gubernat.

Eius finis propositus, est ciues uirtutibus ad felicitatem perducere: Munus uero, est ciuium communi saluti atque utilitatibus studere, & accommodate ad eorum beatam uitam administrare.

Subiecti ciues, sunt liberi homines iuris & uitæ communione sociati, unius imperantis salutaria iussa libere capescentes, & uirtute atque ratione administrati.

Multitudo uero, est id populi genus, quod suapte natura accommodatum est ad imperium hominis uirtute præstantis æquo animo perferendum.

Est autem regnum uetustius & omnium primum constitutũ imperium; cum enim initio, quo homines mutuis officijs uitam degere in communi societate cæperunt, quisque proprijs commodis seruiret, publicis uero nemo consuleret, & tenuiores propter imbecillitatem a potentioribus circumuenti premerentur: ad vnum probatæ virtutis atque iustitiæ confugierunt, eumque Regem, vel potius curatorem, & suarum controuersiarum arbitrum delegerunt; vt communi vtilitati prospiceret, & opibus inferiores a locupletum vi atque iniurijs tueretur,

retur, eoque duce suum quisque tenere, & suo iure pacate frui posset.

De tyrannide, vel prauo vnius imperio. Cap. III.



YRANNIS, est regiæ potestatis deprauatio, vel iniustus & vi acquisitus vnius pro libidine ac priuatæ vtilitatis caussa populis veluti seruis imperantis dominatus.

Qui prauus atque iniquus & non naturalis est, cum a recta imperandi ratione sit quædam aberratio, nec ciuium consensione, aut iure aliquo ciuili; sed fraude, vi, ac repugnante natura constitutus sit.

Quo fit, vt maxima quoque huius imperij vis, diuturna esse non possit: qui enim vi oppressos imperio coercent, cum omnium ciuium odium contra se concitarint; eorum vitam omni ex parte oppugnatam esse; eorumque ceruicibus mortem perpetuo imminere perspicuum est.

Tyrannis autem nomine intelligimus vnum summum & iniustum dominum vi in ciuitate effectum, qui spretis diuinis, gentium, & naturæ legibus, liberis hominibus imperat vt seruis, & alienis opibus vt suis ad libidinem & propriam vtilitatem abutitur.

Ei subiecti populi, sunt homines quasi serui, qui vi imperio obstricti, nolentes atque inuiti parere coguntur.

Tyrannis origo, tum ab occupatione imperij vi & fraude oppressi; tum a regiæ potestatis conuersione & degeneratione existit.

Cum enim nihil difficilius sit, quam recte imperare, & summum imperium homines plerunque efferatos efficiat, maximaque præbeat inuitamenta & opportunitates ad explendas cupiditates: principio reges vehementi quadam incitatione inflammati rei concupitæ adipiscendæ, paulatim a vir-

tute & probitate desiscere, & vniuersorum vtilitatem negligere propriisque commodis tantum consulere cæperunt; ita qui ante reges erant, & optimi publicæ salutis custodes habebantur, lucri cupiditate atque libidine tyranni effecti sunt.

De Aristocratia, vel optimatum imperio. Cap. IV.



OPTIMATVM potestas, est paucorum ciuium optimorum in subiectos liberos populos, ciuium consensu delatum, & publicæ salutis caussa, virtute moderatum imperium: vnam enim virtutem atque honestatem qui in hac Rep. rerum potiuntur, semper intueri, & eo omnia dirigere debent.

Quamobrem hæc administratio, si bene constituta sit, optima (vt nomen ipsum indicat,) & satis firma ac stabilis est ad diuturnitatem.

Hæc enim Resp., optimorum virorum summo consilio, atq; prudentia administratur, & iudiciorum æquitate ciuium opes conseruantur, parique iure publica munera ciuibus spectatæ virtutis distribuuntur.

Optimates, sunt pauci summi atque optimi ciues Reip. administratores, populorum approbatione constituti; quibus uirtus & communis utilitas proposita est.

Optimos autem ciues intelligimus eos, qui nobilitate clari sunt, ciuilisq; administrationis prudentes, & potissimum uirtute facile primi.

Eorum potestati subiecta est ea multitudo, quæ suapte natura apta est ad ferendum multorum imperantium dominatum, & quæ libere parere regique vult ab iis, qui sunt uirtute præstantes.

Optimatum uero potestatis origo, a Regni euersione, Tyrannidisque restinctione deducta est: cum enim multitudo imperii ui opprimeretur, nec suo iure libere frui posset; exactis regibus,

bus, tyrannisque expulsis, ex omnibus ciuibus paucos uirtute principes communis salutis caussa delegit, eosque ciuitatis administratores, libertatis custodes, & cuiusque rerum conseruatores constituit.

De Oligarchia, vel paucorum factione. Cap. V.



VEMADMODVM optimatum administratio maxime salutaris est, atque præclara, si ordine ac iure constituta sit: ita nihil immanius esse potest, si in paucorum diuitum factionem deflectat; nam tyrannide eo deterior existit, quo in illa unus tantum subiectos imperij ui coercet; in hac uero plures tyranni potentes ac sæuientes in pauperum perniciem conspirant.

Vnde, cum iniusta sit huiusmodi potestas & præter naturam, nec utilis, aut laudabilis esse potest, nec admodum diuturna.

Est autem paucorum potestas, optimatum status deprauatio, ac iniustum paucorum nobilium & locupletum imperium, qui suis tantum commodis seruientes, populis tamquam seruis suo arbitratu atque libidine dominantur.

Hanc uero perniciosam paucorum potestatem, hominum improbitas, lucri cupiditas, atque libido, & incontinentia inuexit; uel optimates induxere, ubi deprauari cœperunt.

Pauci enim atque admodum pauci regno potiti, honoribusque & gloria amplificati, eum statum & æquabilem uitæ cursum diutius tenere possunt.

De Politia, vel Timocratia, seu Rep. speciatim. Cap. VI.



OLITIA, quæ communi omnium Rerump. nomine Resp. nuncupatur, rectus est dominatus vniuersorum, vel populi maioris partis, quæ ciuitatis administrationi optimis legibus præest, & omnia confert ad communem vtilitatem.

Nam, sicuti in Aristocratia pauci optimi, vel ciuium minor pars, summum Reip. imperium tenet: ita in hac legitima multorum administratione, vniuersi, aut certe maior pars omnium ciuium in vnum quasi corpus collecta, supremam obtinet potestatem:

Siquidem multitudinis nutu atque imperio leges feruntur & abrogantur, iura describuntur ac stabiliuntur, magistratus omnes deliguntur, eius consilio publica negotia geruntur, omnisque Resp. gubernatur.

Quapropter hæc administratio optima & laudabilis est, si populo ac multitudini temperamentum adhibeatur, quo tenuiores cum principibus æquari se putent, in quo vno totius Reip. solus posita est.

Id autem est (vnde etiam nomen inuenit) ἰσονομία id est iuris æqualitas; qua ex omni populo magistratus ducantur, omnibusque pari ratione mandentur, & suum vnicuiq; iudiciorũ æquitate tribuatur, ut nec tenuioribus imbecillitas, & potentiorum vis & gratia, nec opulentioribus odium & inuidia ad sua tuenda sit impedimento.

Huic Reip. congruit id populi genus, quod ad rem bellicam aptum sit suapte natura, & parere vicißimque imperare poßit ex legibus & æquitate.

Finis & fundamentum popularis huius status, est publica vtilitas & libertas; ius enim liberi populi, quod multitudo maxime quærit atque exoptat, est vicißim parere atque præesse, & posse

& posse viuere vt velit, vi aut iure non repugnante.

Vnde huius studio impulsi populi, post exactos paucos ciues locupletes & principes, qui malis domesticis impediti, inter se digladiabantur, & eorum tyrannico imperio deposito, quo nimium præmebantur; omnem optimatum & paucorum potentium statum in Remp. popularem legibus moderatam permutarunt.

De Democratia, seu populari statu sine legibus. Cap. VII.



OPVLARIS potestas, est legitimæ Reip. mutatio in prauum nullisque salutaribus legibus temperatum imperium quamplurium tenuiorum, qui priuatam vtilitatem atque licentiam spectantes, pro libidine dominantur.

Est enim pestifera suapte natura, & admodum parum diuturna gubernatio: quippe quæ in seditione & ad seditionem nata est, plebsq; imperita & concitata sine legibus dominatur, singulique in ea proprijs commodis & opibus augendis inseruiunt; præterea omnes æqualiter præesse ac imperare volunt, non pro dignitate, sed pro cuiusque numero ac multitudine, omniaque effrenata licentia pessundant.

Et quoniam popularis & paucorum administrationes, inter se contrariæ esse videntur; vt paucorum potestas, genere, diuitijs, & disciplina definitur: ita in populari statu, generis ignobilitas, paupertas, & illiberales artes maxime cernuntur.

Huius vero popularis potestatis primus ortus, a seditione, plebisque seccessionibus inter arma ciuium procreatus est.

De Rep. mista. Cap. VIII.


ACTENVS de simplicibus imperijs dictum est, nunc de mistis aliquid ordine subijciendum videtur; nam quemadmodum in hisce inferioribus rebus perraro simplices rerũ formæ, sed plerumque concretæ cernuntur: ita pauca, admodumque pauca simplicia imperia & administrandi rationes inueniuntur; sed plerumque permistæ ad ciuium salutem & Reip. diuturnitatem sunt constitutæ.

Mista Resp., est ex simplicium administrationum diuersa permistione temperatum imperium, quod varium omnino ac multiplex esse potest;

Verum vniuerse mistæ Resp., ex finibus bonorum ac malorum, sicuti simplices, duorum sunt generum, aliæ bonæ & rectæ, quæ ex bene constitutis Rebusp. componuntur, vt Regno, Optimatum potestate, & Politia: aliæ prauæ, quæ ex contrarijs ac deprauatis conflantur, vt tyrannide, paucorum factione, & statu populari.

Bonæ administrationes varie, multisque modis connectuntur pro varia optimarum simplicium Rerump. temperatione; vt ex regali & optimatum administratione permistum imperium, vt ex regio & populari, vt denique ex regio, optimatum, & legitimo populorum imperio complexa Resp.: eademque est ratio permistionis contrariarum administrationum.

Cum autem dicimus Remp. permisceri ex regno, ceterisque imperijs; non ita intelligendum est, quasi ex eodem omnino summo & integro Regis & reliquorum imperio coalescat: cum enim regia maiestas & summum imperium indiuiduum sit, distingui & comisceri non potest; sed ex Principe componi, qui, tametsi non obtineat summam potestatem; tamen Regis personam sustinet, & eius quodammodo remissam, ac temperatam auctori-

auctoritatem habet; pariterque ex optimatum & legitimæ popularis temperato Reip. statu; vt ex duorum vel trium simplicium imperiorum temperatione, (quod etiã in naturali permistione cernitur) summum existit imperium, & vna exoritur suis omnibus partibus absoluta Resp.

Quænam sit præstantior Respub. Cap. IX.



VONIAM dicimus esse tria genera Rerump., quæ recte constitutæ sunt; simpliciter ac suapte natura ex his regium imperium ceteris præferendum videtur.

Est enim optimo ac præstantissimo imperio præpot. Dei simillimum, planeque diuinum, expressamque prouidæ Naturæ continet imitationem:

Attamen pro hominum, qui in ciuitate versantur, varietate, statu, dissimiliq; natura, institutione, & artibus, pro Vrbis situ, cæli clementia, regionis fertilitate, temporumq; ratione; varia varijs locis Rerump. genera congruere necesse est; vt personis, locis, atque temporibus imperij forma accommodata sit.

Verum vniuerse ex tribus rectis simplicibusque Rebusp., optima ea videtur esse oportere, quæ ab optimis administratur, & Aristocratia dicitur.

Ex mistis vero ea optima censetur atque præstantior, quæ ex tribus optimis imperijs regis, optimorum, & politiæ temperata sit; quam Polibius, & ante ipsum Herodotus antiquitatis parens induxit, & Stoici ac Cicero Zenonem secuti, ceteris omnibus anteponunt.

Atque huiusmodi est Venetorum Resp., quæ singulari Dei munere mihi parens & patria data est, cum Princeps vnus

ſublimis & virtute præſtans ſummum teneat in ciuitate principatum, ac regiam maieſtatem præ ſe ferat; pauci, optimiq; Senatores conſilio atque prudentia inſignes, Optimatum auctoritatem obtineant; quamplurimi vero patricij ordinis, probiq; ciues in comitijs collecti, legitimam popularium poteſtatem, ac Politiam conſtituere videantur.

Finis Libri Quarti.



M. ANTONII BRAGADENI, PATRICII VENETI,

DE HOMINIS FELICITATE

Liber Quinctus.

DE PARTIBVS, ET CAVSSIS RERVMP. ac primum

De Magiſtratibus vniuerſe. Cap. I.



VM lex, quæ eſt anima, vita, & conformatio optimæ cuiuſq; Reip., generatim feratur a legiſlatore, atque ipſa per ſe viribus deſtituta ſit, ſingularumque rerum euentus, qui omnes comprehendi non poſſunt, legibus longe plures exiſtāt; parum emolumenti Reip. allatura erat, niſi Magiſtratus acceſſiſſet, qui legem vniuerſe loquentem, ad ſingulos rerum exitus accommodaret, & pro rebus, tempore, locis atque perſonis moderaretur: deinde ei vim, auctoritatem, ſpiritumq; tribueret exequendo; vere enim ac ſapienter dictum eſt, magiſtratum eſſe legem loquentem; legem autem mutum magiſtratum.

Magiſtratus autem proprie & vniuerſe, eſt publicum officium conſtituendi, conſeruandiq; imperij cauſſa, vni vel pluribus ciuibus iniunctum, quibus a legiſlatore comiſſa eſt nonnullis de rebus conſultandi, vel iudicandi, vel imperandi poteſtas.

Pro cuiusq; vero simplicis, mistæq; Reip. institutis & administrandi ratione, & pro magistratuum ac munerum varietate, vel omnes, vel aliqui ciues creant magistratus, & ex omnibus ciuibus omnes magistratus, vel quidam ex quibusdam, quidam ex omnibus deliguntur.

Modus autem creandorum magistratuum triplex est, suffragijs, sorte, & vtroque, id est sortitione atq; suffragio.

Sed pro magistratus magnitudine, vel paruitate & Reip. forma, interdum expedit, vt altero modo, interdum vtroque magistratus mandentur.

Verum vniuerse in deligendis magistratibus, semper in vnaquaque præclare constituta Rep. ciuium virtutis habenda est ratio: non enim census, atque diuitiæ, non generis nobilitas, non aura popularis ciues ad magistratus & honores; sed vna virtus in primis debet perducere.

Virtutem autem non intelligimus tantum vitæ ac morum integritatem; sed cum ea coniunctam ciuium facultatem & habilitatem quandam ad commode & vtiliter magistratum gerendum.

Quæ tribus rebus præcipue continetur, vt scilicet ciues sciant, possint, & libenti animo velint suo fungi munere: quæ omnia, tametsi non facile est inuenire in vno ciue copulata; in quibus tamen hæc inchoata & magis inesse videntur, ijs iure optimo magistratus deferendi sunt.

Quare, vt paucis complectar, illi potissimum præficiantur, qui virtute in primis ornati singulis muneribus obeundis quã maxime apti sint, qui legum morumq; ciuitatis scientiam teneant, & longo rerum vsu periti sint, omnibusq; in rebus antiquissimam habeant Reip. salutem & vtilitatem.

Ceterum pro loci, magistratusq; ratione, penes vnum magistratum interdum multarum rerum cura; interdum plurium; interdum paucarum auctoritas & potestas esse debet: nam alicubi expedit magistratus esse magnos; alibi vero paruos.

Sed præstat vniuerse temperatam rerum maximarum potesta-

testatem, & multis, quam amplam, & uni tantum deferri; ne ij ui magistratus abutentes in Remp. conspirent.

Quot autem, & quam multi magistratus in Rep. constituendi sint: præterea an magistratus breui temporis spacio coarctari, an diuturni, an perpetui esse debeant, simpliciter definiri non potest.

Nam in magnis ciuitatibus fieri potest, & debet, ut unus magistratus uni rei & officio præficiatur, ex multisq; ciuibus constituatur: quoniam, cum multi ciues sint, fieri potest, ut multi ad Remp. administrandam accedant; atque in ijs expedit, magistratus non esse admodum diuturnos; sed plerosque breui tempore distinctos, nec eosdem bis, aut sæpe eundem gerere magistratum.

In paruis autem ciuitatibus, unus magistratus multis muneribus præponatur, multiq; magistratus paucis ciuibus mandentur, necesse est; siquidem propter ciuium paucitatem & pænuriam, difficile est multos esse in magistratu, & nihil obstat quominus magistratus diuturniores sint, & bis, aut sæpius ijdē eodem magistratu fungantur: nam, cum ijsdem fere magistratibus egeāt paruæ ciuitates, ac magnæ, & ciues admodum pauci sint; qui his rursum successuri sint, nulli erunt.

Magistratus autem pro cuiusque imperij forma, plures, vel pauciores esse debent:

Sed vniuerse tria sunt genera, Senatus, Iudicia, & Magistratus speciatim: Senatus, præcipuus est magistratus, quoniā leges condit, in eoque totius Reip. forma cernitur: Iudicia & magistratus, non sunt ita præcipui, sed ab illo principali pendent, & vim ac potestatem accipiunt; atq; hæc tria magistratuum genera tres Reipub. partes statuuntur, de quibus ordine differemus.

De Senatu. Cap. II.



MNES Resp., quæ recte constitutæ sunt, non ex vna, sed ex multis partibus constant: tres autem sunt præcipue partes ad ciuitatem bene administrandam omnino necessariæ, Senatus, Iudicia, & Magistratus speciatim; quæ si recte constitutæ sunt, optimum, ac diuturnum fore ciuitatis statũ, necesse est: contra vero ijs male descriptis & vitiatis, Remp. non longe ab interitu abesse, credendum est; Quapropter earum cuiusque, sapienti Rerump. & legum conditori summa habenda est ratio.

Senatus vniuerse, præcipua est Reip. pars, quæ in consultatione, et consilij capiendi deliberatione de cõmunibus rebus occupata est, vt de bello & pace ineunda, vel dirimenda, de fœderibus feriendis, de iungenda societate, de inducijs paciscendis, de condendis legibus vel abrogandis, & alijs eius generis.

Huiusmodi vero consultandi & deliberandi facultatem, quæ primum habet in Rep. dominatum, & summum est prudentiæ ciuilis officium; præstat non omnibus, sed aliquibus de nonnullis rebus mandari, & quidem suffragijs potius, quam sortitione.

Iam Senatus duplex est, vnus consultandi, alter deliberandi: prior curia consularis, vel consultorum collegium dicitur, quod est publicum officium ex viris sapientissimis atque consultis constitutum, qui communium rerum gerendarum τὰ προβλεύματα, quæ antegressas consultationes appellare licet, instituunt, & quasi præiudicia faciunt; quæ ad Senatum postea deferuntur, & ab ijs, quorum est consilij capiendi deliberatio, vel tamquam salutaria approbantur & iubentur, vel tamquam inutilia & perniciosa reprobantur atq; reijciuntur.

Posterior proprie Senatus nuncupatur, qui publicus est conuentus plurium prudentissimorum virorum, qui suffragijs,

vel legitima alia ratione declarati, in excutiendo consilio, pendendisq; sententijs a consultoribus relatis, & in deliberando versantur.

Qui in consultatione occupantur, Græcis προβελοὶ, *Latinis consules, & ut ita dicam præconsultores dicũtur, vel* νομοφύλακες, *id est legum custodes; sunt enim ij viri consulti, plerunq; suffragijs delecti, ut legibus præsint; quorum peculiare munus, est de publicis rebus gerendis sententiam ferre: postea, quæ prius in curia consultando decreuerint, ad Senatum deferre, & ea, si opus sit, in concione agitare.*

Illi vero, quorum est communis consilij capiendi potestas, proprie Senatores appellantur, eorumq; munus potissimũ cernitur in apte ad ciuitatis utilitatem deliberando de communibus rebus, quibus uniuersæ Reip. salus continetur.

Atque hæc sane deliberandi institutio maximum Reip. affert emolumentum; ita enim senatorius ordo fit consilij particeps, & prudentius ac salutarius P. C. *de præconsultis deliberant, nec abrogare possunt Reip. leges ac instituta:*

Siquidem hac ratione necessarium est, uel eadem Senatores, quæ a consultoribus & legum custodibus ad se relata fuerint, sciscere ac iubere; vel nihil alterutri delatæ sententiæ, & in concione agitatæ contrarium posse decernere.

De Iudicijs. Cap. III.



VONIAM, dum singuli ius suũ tueri & ab aliorum bonis sua internoscere volunt; sæpenumero inter eos controuersiæ nascuntur, & nefaria scelera consequuntur: propterea, ne excrescentibus controuersiis, inimicitiæ ac simultates exorirentur, & ciues vindictæ cupiditate ducti, armis & cæde Remp. exagitarent; sed tutus a vi atque iniuria quisque in ciuili societate uiueret: iudicia & iudices necessario instituti sunt; qui munus litium dirimendarum obirent, suum cuiq; tribuerent, publici criminum

uindices essent, & ciues beneuolentia atque concordia retinerent.

Iudicia, sunt præcipua Reip. pars, & publica communis utilitatis caussa uni, uel pluribus data suffragijs, uel alio modo, de priuatorum publicisque controuersiis ex legum & æquitatis præscripto ius dicendi potestas.

Iudiciorum duo sunt genera, quædam priuata, quædam publica, priuata, sunt publicum munus uni uel pluribus delatum suffragijs alioue modo, qui priuatorum ciuiles actiones, cuiusq; & uniuersorum utilitatis caussa cognoscunt, & iuredicundo definiunt:

Publica, sunt publicum officium ob ciuitatis utilitatem uni uel pluribus delectis ciuibus comissum, qui crimina contra Remp. & singulos perpetrata exquirunt, iudicant, & capitis uel alio supplicio ex legum & iuris præcepto coercent.

Quæ autem præcipue in iudicijs disceptationes uenire solent, sunt actiones ciuiles, & capitales, quæ petitione & recusatione, uel accusatione & defensione potissimum agitantur, coram ijs, qui præsunt iuridicundo de capite ac fortunis.

Et quoniam in iudicijs maximum omnino momentum positum est ad totius Reip. moderationem & felicitatem: danda est opera diligenter, ut boni uiri potissimum eligantur, quorũ probitas atque prudentia iamdiu multis in rebus spectata sit, quique suæ ciuitatis legum scientiam compararint & didiscerint consuetudinem iudicandi; uel certe ij, quos longus rerum usus iudiciorum peritos ac prudentes effecerit.

Quapropter adolescentes, qui rerum usu & cognitione parum ualent, & animi perturbationibus sæpe concitantur; iudicandi munus recte & pro dignitate obire non possunt.

Eos autem, qui iuridicundo præfuturi sunt, præcipuam operam nauare oportet, ut iuris æquabilitate suum cuiq; tribuãt, & ne tenuiores fraude circumuentos, potentiorum ui opprimi patiantur; neue in diuites odio, maleuolentia, & inuidia ducantur; sed mente, ratione, & æqualitate.

Quare

Quare iudices omni cupiditate, & animi perturbatione spoliati sint; ne gratia, & odio, alioue animi motu a vero facile abducantur.

De Magistratibus speciatim. Cap. IV.



ORVM, qui ciuitatis administrationi præsunt, quidam in consilio dando & de communibus rebus deliberando, vt Senatores: quidam in priuatorum controuersiis dirimendis, delictisq; puniendis, vt Iudices; quidam postremo in Vrbe suo imperio moderanda & regione custodienda versantur, qui Magistratus speciatim dicuntur: quare cum de senatoribus & iudicibus hactenus dixerimus; nunc restat vt aliqua de magistratibus adijciamus.

Magistratus speciatim, est Reip. pars & publicum officium vni vel pluribus ciuibus comissum, quibus vrbanorum prouincialiumque negotiorum moderatio, maximeque imperandi potestas data est:

Magistratus enim maxime proprium est imperare, idque magis vim eius & auctoritatem indicat.

Munus magistratus, præcipue in eo positum est, vt iubeat quæ lege præscribuntur, uetitaque prohibeat, ac suo imperio leges exequatur.

Magistratus variæ sunt species, munera, & partes; quæ, cum satis longam tractationem requirant, de eis nunc dicere omittemus.

LIBER DE CAVSSIS RERVMP. ac primum de caussis constituentibus Remp. Cap. V.



MNES Rerump. caussæ, tripliciter diuiduntur, quædam enim sunt constituentes Remp., quædam mutantes, quædam postremo conseruantes.

Quæ Remp. optime constituunt, duo præcipue sunt, ciuium & opum mediocritas, & leges.

Mediocritas, est ciuium nec admodum locupletum, nec valde egentium; sed opum moderata quadam abundantia affluentium temperatio, in qua optimus Reip. status positus est:

Cum enim ciuitas omnis ex tribus ciuium generibus constet, ex valde opulentis, ex valde egentibus, & ex mediocribus, & id quod mediocre est & medium; omnium consensione optimum sit: profecto mediocrem rerum externarum abundantiam ciuibus optimam esse, & præclare ciuitatem ex ciuium mediocrium temperatione constitui, necesse est.

Ita enim ciues optimam vitam viuunt, & legibus atq; rationi facillime obtemperant, et ex quam maxime paribus, quibus Resp. constare vult, ciuitas continetur: nam inter ciues modo atque opum mediocritate temperatos, nulla inuidia existit, nullæ occultantur insidiæ, nulla denique exoritur cupiditas alieni.

Legibus autem præcipue fundantur, stabiliunturq; ciuitates. Sed optimo legislatori summopere enitendum est, vt bonis aptisq; legibus initio ciuitas constituatur: quibus enim legibus initio Resp. temperata est, iisdem augetur, nititur, & omni tempore conseruatur.

Quare conditor legum atque Reip. ciuili scientia, & legum ferendarum peritia instructus esse debet: deinde illi cognoscenda est ea Resp. & administrandi ratio, quæ cuique ciuitati, locis, personis atque temporibus aptissima sit: postea tenendæ

sunt

sunt leges optimæ, & quæ ijs maxime congruant, qui in ciuitatem venerunt; sunt enim leges, quæ feruntur ad Remp. accommodandæ, non ad leges Resp.; siquidem eædem leges omnibus Rebusp. vtiles esse non possunt, sed de his postea latius integro libro disseremus.

DE CAVSSIS MVTANTIBVS, SEV De conuersionibus Rerump. Cap. VI.



LORENS & moderatus Reip. status, cum ob intestina bella; tum ob rerum humanarum varietatem instabilemq; fortunam; raro vel nunquam verius diuturno tempore teneri, ac permanere potest: Quare quæ aliquandiu floruerunt Resp., tandem aliquando intereant, vel immutentur, necesse est.

Omnium autem Rerump. obitus atque mutatio duplex est, vna naturalis, cum Resp. vetustate & senectute confectæ, suapte grauitate occidunt; vel sponte nulla armorum vi se se alterius imperio dedunt atque subijciunt: altera non naturalis, quæ duobus modis contingit, vel diuina vi, cum Dei iussu permissuve maxima quoque imperia momento ruunt & collabuntur, seu immutantur; vel humana vi ac necessitate, quæ extranea est, vel intestina; extranea, cum ciuitates & vrbes hostium armis obsessæ & coactæ, impetu & vi capiuntur; intestina cernitur in Rebusp., quæ popularibus morbis, & armis ciuilibus ac seditionibus infestantur.

Omnium autem mutationum Rerump. tres sunt præcipui modi, conuersio, intensio vel remissio, & immutatio. Conuersio, est vnius Reip. in aliam formam genere diuersam mutatio, vt cum status popularis, in Remp., vel optimatum, vel vnius imperium vertitur, vel contra: Intensio, vel remissio, est cum idem Reip. status & constitutio retinetur, sed Reip. ratio augetur, vel imminuitur, veluti si Democratia fiat magis minusue popularis: Immutatio, est saluo atque retento institutæ

Reip. statu, alicuius Reip. partis variatio, vt si magistratus aliquis nouus constituatur, aut vetus auferatur.

Ac vniuerse Resp., quæ mutationes patiuntur, interdum in meliorem statum; interdum in deteriorem mutantur. Nunc ad conuersionum caussas transeamus; nobis enim hoc loco de conuersionibus tantum agere constitutum est.

DE CAVSSIS CONVERSIONVM, VEL De seditionibus Rerump. Cap. VII.



ONVERSIONVM omnium Rerump. præcipua caussa seditio existimatur, quæ nihil aliud est, quam exitiosa ciuilium discordiarum ex honoris lucriq; inæqualitate exorta, et æqualitatis cōstituēdæ caussa a ciuibus exagitata cōcitatio.

Semper enim in omni Rep. ius æquabile quæsitum est, omnesque ciues pares esse, & in omnium ciuilium rerum communionem uenire uolunt: cum autem, non pro suo quisq; iure, uel opinione tantum in Rep. obtinet, & minus se habere existimat; tum seditionibus ciuitatem exagitat.

Tria uero sunt ciuium genera, qui totidem ob caussas, seditionem in ciuitate solent inducere: locupletes & egentes, ob lucri æqualitatem: nobiles & plebei, ob honorum parilem distributionem; potentes & inferiores subiecti, ob æquabilem uim & libertatem.

Omnes enim in eo conueniunt, quod aßerunt seruandam esse æqualitatem; tamen in eo discrepant, quod plebei, inopes, & inferiores æqualitatem libertate, & uitæ ac rerum communione: opulenti uero diuitijs; nobiles generis nobilitate: potentes ui metiuntur:

Ita omnes aliquo iure nituntur, sed a iuris absoluti ueritate quamplurimum aberrant: nam obscuro loco nati, tenues, & subiecti, cum sint vna in re pares, vt in libertate; omnium etiā publicorum munerum & commodorum æquales esse volunt;

nobiles

nobiles vero, locupletes, & potentes, cum ſint vna in re inæquales, ut diuitijs, nobilitate, & potentia; omnibus honoribus & commodis, maximeq; imperio excellere contendunt.

Sunt tamen boni, ſalutareſq; ciues, qui cum virtute præſtent & plurimum diſtent ab improbis inutilibuſq; ciuibus, iuſtiſsime ſeditiones concitare poſſent: maxime enim rationi conſentaneum eſt, horum cauſſam tantum omnium ſimpliciter eſſe inæqualem ac meliorem, quod in quaque bene conſtituta Reip. ſeruatur; tamen ſeditiones aduerſantur, quoniam ob eorum probitatem & integritatem, commune bonum proprijs commodis anteponunt.

Principia vero & cauſſæ efficientes, vnde ſeditiones naſcuntur, duorum ſunt generum, quædam internæ, quædā externæ.

Internæ, quæ ſunt communiſsima initia & irritamenta ciuilium diſcordiarum, ſunt diſsimilitudo & inæqualitas honoris & lucri.

Diſpar enim condicio & omnis diſsimilitudo diſsidium, diſſidium diſcordias, diſcordiæ ſimultates, ſimultates factionem, factio ſeditiones in Rep. parere conſueuere: maximum autem diſsidium eſt virtutis & vitij, diuitiarum & paupertatis, potentiæ & imbecillitatis, & nobilitatis ac generis obſcuritatis.

Honoris vero & libertatis inæqualitas duobus modis ſeditionem facere ſolet, primum quando ciues cernunt plurimos iniuria florere honoribus, vnde ciues ad ſeditionem impellit alicuius nimia exuperantia poteſtatis, & auaritia atque improbitas: exuperantia quidem poteſtatis & incrementum iuſto maius, cū aliqua ciuitatis pars ſupra alias præter modum ac proportionem ornatur & augetur; vel vnus inter ciues, aut plures potentia, gratia, diuitiarum & amicorum copijs plurimum valent, vt periculum ſit, ne Remp. occupent atque euertant:

Auaritia vero atque improbitas, cum magiſtratus improbi ſunt, & quæſtui habēt magiſtratū, atq; Remp.; vel quādo magiſtratus ijs deferuntur, qui ſuffragia largitionibus corrūpūt.

Deinde ciues seditionibus Remp. perturbant, quod se vel honoribus vacuos repelli ac iacere, vel iniuria affici vident; propterea metus, contemptus, contentio, & iniuria seditionis caussa esse solet.

Timor quidem & conscientia scelerum, quoniam, qui iniuriam fecerunt, scelerum suorum conscij, seditionem commouent in ciuitate & in res nouas conspirant, veriti ne dent pœnas peccatorum suorum; & qui imminentem vim metuunt, tumultuantur, vt iniuriam propulsent priusquam vllum patiantur incommodum:

Contemptus, vt si aliqui nullam partem in publicis muneribus habeant, & neglecti ceteris ciuibus despicatui sint:

Contentio vero & iniuria, cum ciues hostili discordia digladiantur, & contumelijs, atque iniurijs afficiuntur.

Lucri vero & bonorum externorum inæqualitas, cuiusmodi est secunda fortuna, & opulentia diuitum, & calamitas pauperum, seditiones inuehit in ciuitates; quoniam pauperes, qui egestate præmuntur, ceteros ciues cernunt esse in summa bonorum affluentia.

Externæ caussæ sunt negligentia, paruæ occasiones, dissimilitudo nationum, locus & tempus; quæ vi aliena seditionem mutationemque Rerump. inducunt.

Negligētia, cum ciues incuria ad summos magistratus peruenire sinunt eos, qui præsentem Reip. statum non amant, & rebus nouis summopere student:

Paruæ occasiones, quoniam seditiones nō de re leui, sed ex re leui nascuntur; quæ plerunque initio latet atque contemnitur, & sensim serpit, atque ad extremum magna erumpit ciuitatis mutatio:

Dissimilitudo nationum, si aduenæ, & incolæ ex alijs ciuitatibus Reip. asciscantur:

Locus vero & tempus ciuitatibus seditionem afferunt, cū nec tempus opportunum, nec regionis situs, & loci natura sic munita & apta est, vt ibi una ciuitas instituatur.

De modis conuersionum Rerump. Cap. VIII.



VTATVR Reip. status præcipue duobus modis, vi, & fraude; vi quidẽ seditiosi ciues Remp euertunt, cum iam inde ab initio, vel postea populis necessitatẽ afferunt, vt eum Reip. statum, quem illi suo arbitratu stabiliunt, recipiant, & seruent; fraude vero, cum dolo malo ciues decipiunt, mox Remp. occupant.

Ceterum fraus duplex est, altera simplex, altera vi iuncta: Interdum enim Rerump. euersores, vbi ciues fallacibus conclusiunculis initio in fraudem egerunt, eorum consensu Reip. statum immutant; postea ijs inuitis, vi Reip. principatum assumunt: interdum vero, cum initio persuaserint aliud utilius inducendum esse genus administrationis; post ijsdem etiam rationibus captiosis adductis uolentibus, & approbantibus, in ciuitate summum imperium obtinent.

DE CAVSSIS CONSERVANTIB. REMP. VEL de optima partium administratione, & cautione adhibenda. Cap. IX.



VONIAM contraria curantur rebus contrarijs, & exitio salus contraria est; liquido apparet earumdem rerum curatione, quæ interitum afferunt, saluam atque incolumen fore ciuitatem.

Quattuor autem præcipue sunt, quibus Resp. bene constituta ab interitu uindicatur & in optimo statu seruatur, Administratio partium, cautio diligens, seditionum restinctio, & liberorum institutio.

Primum igitur partium administratio uel præclara publicorum munerum functio bene temperatis Rebusp. maximum

procul

procul dubio ad ciuitates conseruandas adfert adiumentum.

Quare, cum primum sit magistratuum creatio, tum eorum administratio: danda est opera diligenter, ne alicui fiat iniuria in distribuendis honoribus & commodis; sed inter omnes æqualitas quædam seruetur; deliganturq; in primis optimi ciues, aptiq; muneribus publicis, qui præclare gerant magistratum, nec quæstui habeant Remp., prouidendumq; maxime est, ne quis supra modum honoribus ornetur & augeatur, vt iustã ciuitatis membrorum & partium proportionem excedat: præstat enim exiguos & aliquo temporis interuallo distinctos, vel etiam breui tempore definitos honores, quam celeriter omnes, magnosq; tribuere: qđ si forte aliquis oĩbus honoribus p̃ ceteris auctus & cumulatus sit, non sunt statim vniuersi, sed sensim ac paulatim auferendi, semperque ea ciuium pars, quæ Remp. saluam, eoq; in statu permanere vult, adaugenda est, eiq; res gerendæ & magistratus deferendi sunt; contraria seditiosorum, qui res nouas moliuntur, deprimenda.

Sed in administratione partium enitendum est, vt Senatores mala & pericula imminentia longe prospiciant, & salutare aliquod remedium statim adhibeant: Iudices caput a vi & insidijs tueantur, puniantq; facinorosos, & priuatorum fortunas ab iniuria potentiorum defendant, & hæreditates non donationibus, sed cognationibus deferant; Magistratus autem vtiliter administrent omnes Reip. partes, & amice ac humaniter cum multitudine se se gerant.

Malorum autem prouisio & statim adhibita cautio, præclare constitutam Remp. stabilire potest: ea vero tribus in rebus præcipue cernitur.

Nam primum summopere cauendum est, nihil quicquam, ne minimum quidem contra leges fiat, & si qua res parua violata conspiciatur, statim præsidium adhibeatur: legum enim subobscura violatio principio nos fugit, tum pedetentim repit, & paulatim progrediens vires capit, postremo Rerump. mutationem atque euersionem inducit:

Deinde curandum est, ne ciues simulatis legibus decipiantur, & fallacijs, ac fraudis commentis ab opulentis, potiundi cupiditate excogitatis, inducantur, vt præsentem Reip. statum immutent:

Postremo maxime prouidendum est atque impediendum, ne quis supra modum præstet clientellis, potentia, & viribus, ac longe superet alios amicorũ, & pecuniarum copijs; ne in Remp. insidias machinetur.

De seditionum restinctione, & optima liberorum institutione. Cap. X.



VEMADMODVM seditiones sunt præcipue in caussa, cur Resp. funditus euertantur, & ciuium male institutæ, & a pueris susceptæ vitæ rationes, maximas plerunq; mutationes afferunt ciuitatibus; ita illis restinctis, ijs vero bene institutis, statum Reip. firmum ac diuturnum fore perspicuum est.

Dirimuntur autem sediones, si antequam nascantur, longe prospiciantur; quare principijs, leuibusq; rebus, ex quibus solent existere, obstandum est; non enim parua de re, sed ex paruis erumpunt: post de magnis ciues tumultuantur, & cum a principio error existat, principiumq; totius dimidium sit; paruum etiam peccatum, in quod quis initio incidit, in alias etiam partes propagatur.

Paruæ quoque ciuium, præcipue potentiorum, contentiones atque discordiæ dirimendæ sunt: nam paruæ etiam simultates tum vel maxime vires capiunt, cum inter eos oriuntur, qui summam habent in Rep. potestatem: nobilium enim ac principum ciuium discordiæ secum multitudinem trahunt, & ciuitatem vniuersam seditionibus inficiunt; legibusq; cauendum est, ne ciues inter se odia exerceant, pœnisq; persequendi sunt illi, qui discordijs operam nauant.


Quod si iam ortæ sint seditiones, statim remedium obijciendum

dum est, & ne longius serpant, cautio adhibenda est; Nam facile morbi recentes curantur, inueterati plerunque interitum afferunt.

Quare, qui Remp. administrant, omni studio curare debēt, ut seditiones quamprimum sedentur: iisdemq; maxime conandū est principum præsertim ac nobilium, qui præsunt multumq; possunt, odia & discordias initio dissoluere, & eos conciliare, populosq; concitatos sedare, & amore ac beneuolentia pacatos atque concordes retinere.

Maximum autem adiumentum ad Remp. conseruandam accedit, si ciues optime a pueris apteq; ad eius ciuitatis instituta educentur, & ab ineunte ætate artibus liberalibus imbuantur, ac informentur ad ciuilem disciplinam, ut præclare & utiliter imperare, vicissimq; sine difficultate parere, & legibus obtemperare possint.

Finis Libri Quincti.




M. ANTONII BRAGADENI, PATRICII VENETI, DE HOMINIS FELICITATE

Liber Sextus:

IN QVO

DE LEGIBVS DISPVTATVR.



De legum necessitate, & vtilitate. Cap. I.

POSTQVAM supremus huius pulcherrimi Theatri Orbis terrarum fabricator & auctor, hominem quasi epilogum rerum omnium creatarum efficere constituisset; ita eius commodis, dignitati, atq; saluti consuluit; vt ei non modo statum ac vitam cum ceteris animantibus communem tribuerit; sed animum ex diuina mente delibatum, cælestibus æqualem inspirarit; sibiq; cum multis alijs rebus, tum præcipue regendi potestate similem effinxerit. Itaq; homo huius magnæ Ciuitatis Dei ciuis constitutus est, vt recte ciuilem societatem administrando, diuinam bonitatem ac prouidentiam imitaretur, ad supremamq; felicitatem iucunde perueniret: quod vt facilius consequeretur, ei non modo bene viuendi; sed etiam recte administrandi rationem commonstrauit, legibusq; in primis moderandam esse Remp. declarauit, cum

rerum vniuersitatem miro ordine formauit, æternaq; lege distinxit. Sicuti enim diuinus ordo, sempiternaq; lex est ornamentum cælestium corporum, salus rerum natura constantiũ, Mundi deniq; vniuersi pulchritudo; ita mens & animus ciuitatis, decus, & lumen imperij in ordine & legibus positum est: vt sine ijs ciuitas bene constituta esse nulla possit: quemadmodum enim corpora nostra sine ordine inconcinna, & sine mente mortua existunt; ita ciuitas nullis temperata legibus, tamquã suo spiritu destituta, omnino deformis sit, suisq; partibus, & vita careat, necesse est. Propterea tum homini, tum in vnaquaque bene instituta Rep., leges omnino necessariæ sunt: lege etenim prima est homini cum præpotenti Deo rationis societas atque similitudo; & legibus ciuitas primum coalescit, tum diu recte administratur, bonis denique omnibus cumulatur. Nam perbeata ciuitas omnium sapientum consensu, ea tum demum habenda est, in qua non singuli, aut pauci suo arbitratu & nutu imperant; sed tantum leges dominantur: cum tandiu Vrbes lætæ ac beatæ floreant populis, abundent omnibus copijs, ciues maxima opum atque honorum affluentia inter se concorditer viuant, in summaq; tranquillitate conquiescant; quandiu leges imperant, & firmæ ac ratæ habentur. Quare, cum tantum momenti ad felicitatem consequendam, & ad rectam institutionem Reipub. in legibus positum sit; vt perinde felix aut infelix, tum quisque, tum ciuitas omnis euadat, vt bonis malisue legibus instituta est: profecto cum disputatione de hominis felicitate, & Reip. administratione, necessario coniungenda est legum cognitio atque tractatio.

* * *

De

DE LEGIBVS VNIVERSE; AC PRIMVM Quid, & quotuplex sit lex. Cap. II.



EX generatim ac vniuerse, nihil aliud est, quam ordo a prudentia constitutus, qui rectam continet administrandi rationem, & legi subiectos cōsentaneis destinatis dirigit ad optimum finem.

Eius tria sunt genera, quorum vnum diuinam, alterum naturalem, postremum humanam legem complectitur.

Diuina, quæ lex summi boni & prouidentia Platoni dicitur, est sempiterna diuinæ prouidentiæ ratio, ceterarum omnium legum principium, atque exemplar.

Naturalis, seu mouens, eadem est cum lege cælesti, quæ fatum a diuino Platone nuncupatur, earumque solum diuersa est ratio.

Humana vero, quæ naturalis prudentia appellatur, ex hominis prudentia proficiscitur, & diuinam ac naturæ legem iubendo vetandoque imitatur.

De lege diuina, atque æterna. Cap. III.



VM omnis humana lex ab æterna præpot. Dei lege, tamquam ex vberrimo fonte primum profecta, ad homines permanarit; alte legum humanarum, et a capite sunt nobis repetenda primordia, vt earum facilius explicetur natura; Itaq; instituendarum ciuilium legum ab illa summa lege sumemus exordium, quæ ex omni æternitate orta est cum mente diuina.

Lex igitur sempiterna, est immutabilis omnium rerum a Deo constitutus ordo & moderatio, qua singula pro cuiusq; natura ad fines suos diriguntur.

Sed, vt ad hominem refertur, est humanarum actionū sum-

ma diuinæ ſapientiæ honeſta iubentis , contrariaque vetantis ratio, ob Dei gloriam hominumq; felicitatem ab ipſa Dei prouidentia ex æterno tempore conſtituta, quæ præmia bene agentibus, ſuppliciaq; delinquentibus ſtatuit :

Atque hæc diuina lex homini præcipue neceſſaria fuit , vt eum in primis ad cæleſtem beatitudinem naturæ facultatem exuperantem, ad quam homo natus ſingulariq; munere a Deo deſtinatus eſt, dirigeret: tum illi quid agendum, quidue cauendum ad ſupremam felicitatem conſequendam ſine vlla dubitatione conſtaret; nec modo eius actiones ; ſed latentes etiam cogitationes, quæ humana lege cohiberi non poſſunt, recta ratione ad virtutem informarentur .

Omnia tamen, quæ a præpot. Deo æterno verbo cōdita ſunt, ſiue ea neceſſaria, ſiue fortuita ſint (exceptis ijs, quæ ad naturam diuinam ſpectant) ſempiternæ legi ſubiecta ſunt.

Sicuti enim Deus omnia , quæ in hac rerum pulchritudine cernuntur, ex nihilo admirabili ſapientia condidit; ita eadem regit omnia, & rerum conditarum actiones, motiones, atq; impulſus, quod ſummi ſapientis eſt, moderatur :

Verum diſsimili ratione bruta animantia , & homo diuinæ legi ſubÿciuntur. Nam illa cæco naturæ impetu ab inſito motionis principio agitantur , diuinaque prouidentia feruntur ad finem : hic vero, quia rationis eſt particeps, ductu rationis & cognitione, atque admonitu diuini iuſſus dirigitur ad ſummum bonum .

Huius enim æternæ legis perfecta natura , quãuis nobis abdita ſit, ſolique Deo ac beatis mentibus ſit plene planeque perſpecta; eius tamen vis, notio, & anticipatio quædam diuinitus cunctis hominibus inſita eſt , nonnullis quidem maior & clarior ; nonnullis vero minor & obſcurior pro eius communicatione & lumine , quæ nos ſemper hortatur ad honeſta , & auocat a peccatis & vitÿs .

De

De lege naturæ. Cap. IV.



VAMVIS vniuersa, quæ extant in natura rerum, æterna lege gubernentur, ad suosq; fines pro cuiusq; rei natura ferantur; tamen soli homines concessu immortalis Dei, illius æternæ legis informatam notionem mente atq; ratione complectuntur, vt sibimet ipsis alijsq; possint consulere; ceteris vero animantibus rationis expertibus insitũ est a natura se se mouendi principium, agendi patiendiq; facultas, & impetus quidam, quo ad id, quod adest se se accommodant, salutaria prosequuntur, fugiuntq; contraria, & ad suam perfectionẽ ducuntur; quem instinctum naturæ, ingeneratum nõ modo mutis animantibus, sed homini quoq;, legẽ naturalẽ ueteres appellarũt.

Est autem naturæ lex, vis atq; instinctus naturalibus rebus insitus a natura, qui suadet prosequenda esse bona sibi consentanea, fugiendaq; contraria, cunctaq; ad fines suos impellit.

Sed ea speciatim in homine, est liberum iudicium rerũ agendarum ex innatis agendi principijs facile a ratione adhibita attentione collectum, quod recti amore & odio vitij nos trahit ad bene viuendum.

Hæc aũt naturæ lex, non est proprie & per se habitus, id est constans cum oportet agendi perfectio: neq; enim est id, quo aliquid agit ratio; sed potius iudicium quodam rõne constitutum.

De præceptis legis naturæ. Cap. V.



AMETSI plura numerentur legis naturæ præcepta, quæ pertinent ad rationem occupatam in agendo: tria nihilominus sunt eorum præcipua genera, ex hoc summo naturæ præcepto profecta, id est, Bonum esse prosequendũ, malumq; fugiendum, & ex innatis hominum propensionibus appetitionibusq; collecta,

collecta; ad quæ cetera omnia facile reuocari poßunt.

Primum igitur homines naturæ impulsu, bonum sibi consentaneum expetunt, malumq; refugiunt; quod rebus omnibus atque naturis commune est; ex quo existunt hæc naturæ præcepta, omne animal simul atq; est ortum, se ipsum diligere, incolumenq; esse velle, se, vitam & corpus tueri, & a quacunq; vi defendere: omnia, quæ ad viuendum necessaria sunt, inquirere & parare, & alia huiusmodi.

Deinde est hominis speciatim quædam naturalis boni appetitio, qua conuenit cum ceteris animantibus, quibus id est a natura tributum & insitum, vt coniunctionis appetitus procreandi caussa, sui salus, suoq; in genere per propagationem conseruatio, cura eorum, quæ procreata sunt, amor in filios, educatio liberorum, & id genus alia:

Postremo natura trahuntur homines ad boni naturæ rationis compotis accommodati cupiditatem & studium: vnde huiusmodi naturæ præscripta effluxerunt; mentem humanam immortalis Dei innatam quandam habere anticipationem, perpetua teneri discendi cupiditate, trahiq; ad veri inuestigationem atque scientiam, pietatem & cultum Deo esse exibendum, natos esse homines ad ciuilem societatem, honeste viuendum, suum vnicuique tribuendum esse, & quæ nobis fieri nolumus, alteri ne facere velimus.

DE LEGE HVMANA, ac primum de eius necessitate. Cap. VI.



I homo, ab immortali Deo ad imaginem sui conditus, diuinisque muneribus auctus, eo in statu permansißet, in quo fuerat ab initio constitutus, & spreto diuino iussu in tot animi corporisque miserias sempiternasq; calamitates non incidisset; facile omnino insitas a Deo virtutes, naturæ probitatem, legem denique omnem diuini iuris atque naturæ, coluisset summa

ma factorum, consiliorumq; constantia; ac probe tenuisset innatam expetendarum, fugiendarumq; rerum scientiam, & natura duce optimum vitæ cursum conficere potuisset; nec sane esset, quod quisquam doctrinam, legumq; disciplinam requireret, cum satis adiumenti ad bene beateq; viuendum habuisset perfecta ipsa natura.

Nunc, quoniam aliter accidit, & genus humanum lapsu primorum parentum valde vitiatum est; diuinam gratiam a primo ortu infusam amisimus, & rectæ voluntatis atq; rationis ordo & in Deū propensio deprauata est, qua pie, iusteq; viuebatur: tamen relictæ sunt nobis primæ illæ notiones a natura ingeneratæ, vel potius diuinitus insitæ, quæ sunt veri ac falsi dijudicandi, & boni ac mali iudicante conscientia discernendi rationes, virtutum & vitiorum atque actionum omnium origo; quarum ad præscriptum, si homo rationi consentaneas actiones, cogitationesq; suas, se denique totum formaret ac fingeret, & innata virtutum semina adolescere pateretur; rectam bene viuendi rationem commonstrarēt, & naturæ congruentem pararent illi felicitatem.

Sed, quoniam quæ nostris ingenijs inseuit natura uirtutum semina, vsque a teneris annis malæ consuetudinis corruptelis, prauisq; opinionibus ita obruimus, adeoq; statim in omni vitiorum prauitate versamur; vt neq; naturæ lumen, nec rectæ rationis splendor, nec vllum propemodum in nobis appareat humanitatis uestigium: ea de caussa legum humanarum inuentio necessaria fuit, & potissimum ciuitatum moderatores ratione atq; virtute præstantes ex innatis illis notitijs leges deducere, iubereque oportuit; vt supplicij metu cogente a malo & vitijs abstineremus, & præmiorum spe, vitam naturæ atq; virtuti consentaneam duceremus.

Quid

Quid sit lex humana, seu ciuilis. Cap. VII.

LEX humana, quæ ordo & anima Reip. dicitur, est recta subiectorum hĩum honestas actiones imperãs, prohibensq; contrarias, & præmijs obtemperantibus, violatoribusque supplicijs constitutis, ad communẽ felicitatem dirigens, legislatoris prudentia cõdita iussio.

Est autem lex recta ratio, vel recta cum ratione ordinis constitutio; quia, cum lex humanarum actionum mensura quædam & regula sit, cuius præscripto homines ad bene beateque uiuendum ducuntur; ciuilis societatis retinendæ caussa nonnulla imperat, nonnulla vero prohibet; quod cum rõnis sit propriũ munus, lex quoq; maxime ad rationem pertineat necesse est.

DE CAVSSIS LEGVM CIVILIVM, ac primum de materia. Cap. VIII.

SVBIECTA materia, in qua lex omnis humana versatur, sunt homines, aut potius humanæ actiones, qua legum præscripto ad optimũ Reip. finem dirigendæ sunt: hoc enim cuique legumlatori propositum est, vt iusta honestaque agenda imperet, prohibeatque contraria.

Verum, non ita intelligendum est, vt hominum actiones omnes legibus subijciantur: neque enim artificum opera per se sub legis imperium cadunt; sed actiones illæ tantummodo, quæ in prauis optimisve moribus cernuntur, quibus homines probi, malive fiunt, & laudem aut vituperationem merentur.

Atque huiusmodi quidem actiones ad tria capita commode reuocari possunt; vel enim ad religionem & cultum immortalis Dei referuntur, vt illæ quibus diuinus cultus pie & rite non exibetur, vel Christiana religio oppugnatur: uel ad cuiusq; vitæ rationem pertinent, cuiusmodi sunt illæ, quibus homines pri-

uatim turpem, obscœnam & dissolutam vitam viuunt: vel denique ciuilem societatem spectant, veluti sunt illæ, quibus iniuste cum ceteris agitur.

Hæ autem in moribus positæ actiones, cum duorum sint generum, quædam internæ solo animo & cogitatione conceptæ: quædam externæ, non modo animo susceptæ, sed ipso etiam opere perfectæ, quæ ciuili societati plurimum prodesse aut obesse solent; hoc postremum duntaxat actionum genus proprie & per se legibus subÿci perspicuum est.

Nam solæ cogitationes in ciuili hominum cœtu, nec pœna nec præmio dignæ censentur, nisi insigne damnum eas consequatur, & in aliquem redundet, uel alicuius sint perspicuæ scelerum molitiones, & euidentibus signis patefacta consilia, vt conspirationes in Principem, patriæ proditiones, cogitatæ atq; incohatæ necis & calamitatum machinationes, & huiusmodi aliæ, quas, qui molitur, nisi obstaret impedimentum ad exitum, quo ad ipsum perduceret:

Quæ vero penitus occulta sunt, legibus non subÿciuntur: horum enim, eum quædam soli iudici cognita sint atq; perspecta, ceteros autem lateant; quædam vero omnibus ignota sint; neutra humana lege puniuntur; sed a Deo tantum, cui omnia perspicua sunt, pœna, aut præmÿs compensantur.

Legibus autem præscribuntur illæ tantum externæ actiones, quæ plerunque, & facile euenire solent: ceteræ vero, quæ raro contingunt, quoniam similitudine aliqua, aut æquitate facile a iudice decerni possunt, a legislatore negliguntur; quibusdam tamen exceptis, quæ speciatim prohibentur ob summam iacturam maximumq; detrimentum, quod ciuili societati essent allaturæ, vt in Remp. coniurationes, patriæ proditiones, parricidia, & si quæ sunt eiusmodi aliæ.

Quapropter ea, in quibus tamquã in subiecta materia ciuiles leges versantur, sunt oẽs actiones externæ in moribus positæ, quæ libere a subiectis populis, qui sunt consilÿ participes, contra singulorum & Reip. salutem ac utilitatem suscipiuntur.

Neque enim ratione vel vsu rationis expertia, legibus vllis tenentur; cuiusmodi sunt bruta animantia, dementes homines, pueri & furiosi, qui neque consilij, nec mentis compotes sunt.

Legem ciuilem omnia vitia prohibere non posse. Cap. IX.



VONIAM populi maior pars, & ciuium pleriq;, quibus lex iniungitur, exiguo ingenio, vel certe imperfecta uirtute præditi sunt, & malis moribus deprauatisq; opinionibus imbuti, in omni fere semper prauitate versantur: propterea legis non est omnia vitia prohibere, quibus tantum viri probi vacant nullo legum metu; sed grauiora duntaxat, a quibus quamplurimi abstinere facile poßint: atque ea in primis, quæ ceteris sunt detrimento, & humanæ vitæ societatem e medio tollere videntur:

Cetera vero leuiora, quibus non nimis offendimur, plebi vitijs procliui ignoscenda sunt.

Quemadmodum vero lex ciuilis, vniuersa vitiorum genera non prohibet; ita etiam nec actiones omnibus virtutibus consentaneas imperat; sed eas præcipue, quæ statim, vel aliarum interiectione ad commune bonum diriguntur.

De forma legum ciuilium. Cap. X.



ORMA legis, est recta gubernandi agendiq; ratio, vel ciuilis ordo rectam imperans agendi rationem: quemadmodum enim grauium, leuium, & neutrorum corporum ordo & constitutio, ob sui præstantiam & diuinitatem quandam, est forma legis naturæ & rerum vniuersitatis conformatio; ita ciuitatis ordo, & recta humanarum actionum ratio, forma atque ipsa natura ciuilium legum censenda est.

Hæc autem recta agendi ratio ortum & originem ducit ab humana

humana prudentia, quæ recta cum ratione quid bonum malumve sit homini dijudicat, quidve prosequendum aut fugiendum ostendit: proxime vero & proprie ab ipsa lege existit, qua statim actiones nostræ perficiuntur.

Cuiusmodi debeat esse humana lex. Cap. XI.



RIA præcipue legi ciuili necessaria sunt, si legis nomen ac vim re, non verbo tantum obtinere debet, primum igitur religioni atque diuino cultui eã congruere necesse est, vt diuinæ legi, a qua primum emanauit, similis sit: deinde disciplinæ conuenire, vt naturæ legem præ se ferat: postremo saluti prospicere, vt communem spectet hominum vtilitatem.

Atque hæc sunt, quæ maxime necessaria censentur ad optimas salutaresq; leges condendas; quibus si careat lex, in bene constituta Rep. non modo vim vllam obtinere non potest; sed ne legis quidem nomine digna est.

Ceterum lex perspicua esse debet, & populari dicendi genere ad vulgi intelligentiam accommodato conscripta; nullisque ambiguis sententijs perplexa, ne animus iudicis a vero abducatur.

Legem vniuerse ferendam esse. Cap. XII.



EGES, vt omni tempore, in omniq; rerum & hominum condicione ciuili societati multum adiumenti afferre poßint, nullo modo ad præsentem rerum & temporum statum definiendæ & coarctandæ sunt; sed quamplurimos alios multaque negotia ac temporum vicißitudinem prospicere debent: quod fiet si non anguste, sed vniuerse ac generatim ferantur.

Communis enim ciuium vtilitas, quo honesta lex omnis refertur, ad quamplurimos spectat, & ciuitas ex multis homi-

nibus constituitur, nec vna aut paucis actionibus felicitas cõparatur, nec vna dies aut breue tempus hominem beatum efficit; sed virtutis habitu comparato, pluribus in omni ætate & vita perfecta probis actionibus, homines ad tantum bonum perueniunt: Resp. vero non ad exigui temporis spacium sed ad diuturnitatem instituitur, ciuiumq; propagatione multa secula conseruatur.

De legum ciuilium fine, officio, & instrumentis. Cap. XIII.

LEGVM ciuilium finis, vniuersè duorum est generum, si enim spectetur id, cui lex affert adiumentum, sunt homines, qui in ciuili societate viuunt, Reges, Principes, atque Resp.: si vero intelligamus id, cuius caussa condendæ, & quo referendæ sunt leges vniuersè, duplex exoritur finis, alter summus, qui Deus est, tamquã supremum bonum ciuitatum ac singulorum, & diuinus cultus, religionisque conseruatio: alter proprius ciuilium legum, & ad beatam uitam perducens, qui est ciues in genere morum simpliciter bonos efficere, seu commune bonum atque felicitas Reip., incolumitas populorum, singulorumque perfectio.

Legis officium, est ea proponere et iubere, quibus ciuiles hominum actiones ad virtutem, & ad optimum Reip. finem accommodate diriguntur; quod lex præclare præstat iusta & honesta imperando, prohibendo contraria, leuiora permittendo, delictaque puniendo.

Legum vero instrumenta & ministræ, sunt pœna & præmium, quibus qui nec virtutis studio, nec odio vitij ducuntur, nec omnino ratione mouentur; vel supplicij metu deteriti, a peccatis & vitijs auocantur, vel propositi præmij spe illecti, ad bene iusteque viuendum impelluntur.

De muneribus legum ciuilium. Cap. XIV.



VATTVOR sunt munera legum ciuilium, quæ scripto sanciunt quod volunt, iubere, vetare, permittere, & punire.

Actiones enim humanæ, quas lex ad virtutem apte instituere, & quibus ciues probos efficere debet, vel probæ sunt, vel prauæ, vel quodammodo neutræ, iubet si per se & in genere morum bonæ sunt, & virtutibus congruentes; quoniam lex est præscriptum rationis modo quodam imperandi: si vero prauæ existunt, & virtuti perfectæ dissentaneæ, uetat, punitq; illos, qui eas suscipere conantur; nam, cum rationis proprium sit, vt ab vno ad aliud progrenadiatur, sicuti conclusioni principiorum vi & euidentia, assentiatur necesse est; ita supplicij metu populi a malis abstinere coguntur: quod si actiones promiscuæ sint, vt quæ aliquantum boni sunt, & mali participes, permittit, humanæq; ignoscit imperfectioni; leuiora enim mala sunt, & parum detrimenti afferunt ciuili societati.

Consulere vero, & præmijs afficere, cum priuatis etiam ciuibus conueniat, non sunt legum propria munera.

De caussis efficientibus, & effectibus legum ciuilium. Cap. XV.



VOBVS primum, tamquam principijs humanæ leges constituuntur, ordine & auctoritate, hæc a principe manat, qui legem subiectis populis sibi ab immortali Deo, a naturaque in homines impertito, ciuiumq; consensu confirmato imperio, iniungit: ille vero a præpotentis Dei, Naturæ, & Hominis prouidentia exoritur.

Deus enim cuncta, quæ Mundi ambitu continentur, sum-

ma

ma sapientia miroq; ordine distinxit, & sempiterna lege perpetuo moderatur; quæ postea fuit ceterarum omnium legum exemplar, origo, & moderatrix. Ex quo vniuersi legumlatores alicui Deo leges acceptas retulerunt, vt Trismegistus Mercurio, Charondas Saturno, Minos & Rhadamantus Ioui, Licurgus & Draco Mineruæ, Moyses & Petrus vere vno trinoque DEO:

Natura vero, naturalium rerum insignem ordinem ac leges, quas Deus cunctis operibus suis impreßit, veluti speculum atque exemplum ferendarum ciuilium legum homini ob oculos ponit, eique ad leges condendas, ad prouidendum, iubendumq; maximam elargitur facultatem:

Homo ad extremum & legislator prudentiæ & rectæ rationis vi, iubendique potestate, est proximus conditor legum ciuilium: est enim lex rectæ rationis sapientis animo intus latentis scripto expressa imago.

Effectus autem proprius atque præcipuus legum ciuilium, est ciues, quibus ipsæ imponuntur, viros simpliciter bonos, & legibus obedientes efficere: lex enim, cum sit præscriptum rectæ rationis ob communem ciuium felicitatem a Principe constitutum, optimis moribus & consuetudine, qua virtus comparatur, subiectos populos ad virtutem perducit, quæ tunc in eis cernitur, cum principi atque gubernatori recte subijciuntur & legibus parent.

.:.

Quis poſsit legem condere, & quæ legislatori neceſſaria ſint. Cap. XVI.



RIA ſunt legumlatoribus maxime neceſſaria, vt leges Reip. ſalutares iure ſancire poßint, publica poteſtas ſeu imperium, ſapientia, & vitæ ac morum integritas.

Nam cum hominum actiones dirigere ad communem felicitem, non ſit priuatorum hominum munus; ſed vel totius populi, vel eius certe, qui imperio præeſt: propterea populus duntaxat vniuerſus & Princeps, aut qui eius perſonam ſuſtinet, iure obtinet legum ferendarum auctoritatem.

Adſit enim vis cogendi coercendique eos, qui leges violarint neceſſe eſt; quam priuati homines nec habent, nec exerceant æquum eſt.

Niſi vero legiſlatoris ſapientia, & recta ratione, ſed temeritate atque libidine lex condita ſit, tantum abeſt, vt vim & auctoritatem obtineat, cum diuinæ & naturæ legi aduerſetur; vt ne legis quidem nomine appellanda ſit.

Quod ſi ab improbo legiſlatore iuſtæ leges ferantur, apud imperitam & moroſam multitudinem, vitæ ac morum legiſlatoris deprauatio adimit, aut certe minuit legi vim & auctoritatem; cum eius ad exemplum, qui alios inſtituere profitetur, potius, quam ad legis præſcriptum ſubiecti populi plerunque formentur, ac dirigantur.

De legum promulgatione. Cap. XVII.



VONIAM lex conſtituitur tamquam regula, & menſura rerum agendarum; tum eam ciuili ſocietati imponi cenſendum eſt, cum iniungitur, & quaſi applicatur ſubiectis populis: hoc autem promulgatione maxime efficitur. Ita enim fit, vt lex ad omnium, qui adſunt,

adsunt, quive absunt notitiam perueniat: deinde scripto edito, vel quasi per manus, maiorum sermonibus ad aliorum etiam aures & omnem posteritatem permanare posit; quare nisi lex promulgata sit, nullam coercendi vim habet.

DE LEGVM CIVILIVM VI, AC POTESTATE, Leges humanas conscientiæ crimini earum violatores obligare. Cap. XVIII.



VMANAE leges, si æquabili iure constitutæ sint, singulos Reip. ditioni subiectos, qui eas violare, aut corrumpere audent, non solum debita pœna in eos constituta mulctare possunt; verum etiam in ijs, quæ ad recte praueq; factorum conscientiam pertinent, reos culpæ queunt efficere.

Est enim honesta lex omnis, & recta suadente ratione condita, propago quædam ex sempiterna lege decerpta; quæ, quoniam diuinæ legi consentanea imperat, aut prohibet; participatam etiam illius vim obtinere debet.

Quare, cum ab immortali & præpot. Deo omnis imperandi potestas profecta, & diuino munere Principibus concessa sit, qui sacrosanctas Principum leges violat, admirabilem Dei ordinem, nexumq; rerum peruertere, ac diuinæ voluntati repugnare conatur: ex quo infensus Deo redditur, quamuis iustam iudiciorum & legum pœnam effugiat.

DE LEGVM INTERPRETATIONE, SEV de æquitate. Gap. XIX.



VONIAM legumlatores vniuerse tantum leges ferre solent, nec omnino factum definiunt, & sæpe incidunt tempora, quibus necessario a lege discedendum est, si pacatos populos, firmumq; Reip. statum esse velimus; propterea opus est alio iure non scripto præter-

prætermiſſo a legis conditore, quo ſeueritatem legis mitiget iudex, & legiſlatoris ſententiam interpretetur; hoc autem eſt æquitas, qua iuſteaut iniuſte facta bono & æquo ponderantur, quod Græci ἐπιεικὲς vocant.

Igitur legi coniuncta eſſe debet æquitas, quæ nihil aliud eſt, quam benignior ſcriptæ legis interpretatio, quæ ex rectæ rationis iudicio ſeueritatem acerbiorem mitigat, & prudenter pro rerum, temporum, loci, hominumque ratione, communi vtilitate moderatur.

Quare æquo & bono, quod eſt iuris legitimi, & generalis comprehenſionis ſine exceptione moderatio, factum venia dignum, per imprudentiam & fortuito comiſſum iudici perpendendum eſt, non ex lege iudicandum, nec legis verba, ſed legiſlatoris mens & ſententia ſpectanda.

Cum enim omnes leges ciuiles ad ſalutem & commodum ciuitatis referendæ ſint, eas ex communi ciuium vtilitate, non autem ſcriptione interpretari oportet; quod etiam ipſe legiſlator ſi adeſſet, proculdubio admoneret; quoniam ſummum ius, ſæpe ſumma iniuria exiſtit.

Verum, niſi temporis ratio, & præſens neceſſitas vrgeat, ſeu res ambigua ſit, nemini priuato fas eſt ſibi præripere facultatem interpretandi quid ſit ciuitati emolumento; ſed conſulendus eſt Princeps, cuius priuilegio integrum ſit ei a lege diſcedere.

Quod ſi adeo vis ſaluti immineat, vt ante maximi cruciatus perferendi, & ſummæ calamitates ſubeundæ ſint, quam poteſtas repetenda; annexam habet & quodammodo tacite dat ipſa lex poteſtatem diſcedendi a legis præſcripto: uis enim atque neceſſitas ſoluta eſt omni lege.

De legum ciuilium abrogatione, & mutatione. Cap. XX.



AMETSI lex omnis suapte natura immutabilis sit atque æterna, & quæ variæ sunt, vel ad quodam tempus scriptæ leges; populariter magis, quam vere legis nomine appellentur; tamen, cum lex rationis quædam sit norma, qua hominum dißimiles actiones diriguntur, tum ob rationis, tum ob actionum humanarum variam, mutabilemq; naturam, etiamsi iusta sit, pro loco, tempore, hominumque ingenijs, interdum iure commutari potest.

Ita enim natura comparatum est, vt quemadmodum artes, atque scientiæ humano ingenio inuentæ ab humilioribus ortæ principijs, progreßionibusq; vsæ & auctæ, paulatim perficiantur: nihil enim simul ortum atque inuentum, statim perfectum est; ita rationis splendor, & vis quotidie augeatur, & virtus, cognitioque præsertim atque prudentia, temporis diuturnitate & longo rerum vsu adolescat, confirmetur, atque absoluatur.

Cum autem varia sit vnoquoque tempore ciuium & rerum condicio, dispares mores, & dißimiles hominum status; varia quoque & diuersa singulis ætatibus congruere & expedire perspicuum est.

Quare principia quidem legis immutabilia sunt, quæ vero ex principijs colliguntur, ob rationis, legisque ciuilis imperfectionem, rerum, ac temporum vicißitudinem, humanarumq; actionum inconstantiam, sæpe numero variantur: vnde legum etiam mutatio necessaria est.

At vero non semper abroganda lex est, quotiescunq; melius quidquam occurrit; quoniam legis abrogatio suapte natura communi vtilitati est detrimento: nam, quæ duo ad legum custodiam

stodiam & obseruationem summum adferunt adiumentum, consuetudo & cogendi vis; ea legis abrogatione tolluntur.

Propterea, nisi tantundem commodi compensetur ciuili societati, quantum mali confertur, & maximum ac perspicuum emolumētum ex noua lege ad ciues redundet, vel nisi lex prior claram contineat inæqualitatem ac detrimentum; nulla ratione lex vetus abolenda est.

De consuetudinis vi, &, auctoritate: Consuetudinem vim legis obtinere posse. Cap. XXI.



ON modo legislator, sed etiam diuturna populorum consuetudo scriptas leges confirmare, interpretari, abolere, & ius nouum inducere potest, quod vim legis obtineat.

Habet enim ipsa consuetudo legislatoris mentem, & voluntatem explicandi facultatem; quoniam, quemadmodum animi sensa oratione rationis interprete, patefiunt; ita ratio legislatoris atque voluntas, ex quibus leges proficiscuntur, factis, crebrisque actionibus consulto susceptis exprimitur.

Est autem ciuilis consuetudo, ius non scriptum, æquitatem & legis vim continens, diuturnis moribus populi & recta ratione in ciuitate inuectum.

Ad hanc consuetudinem inducendam quattuor præcipue necessaria sunt, primum, vt rationi consentanea sit; secus enim corruptela potius, quam consuetudo censenda est: deinde, vt præscripta sit, id est temporis diuturnitate, & vt communiter decennio inueterata: postea, vt frequenti vsu, & actionum crebritate confirmata sit, ex quibus tacitus populi consensus, & approbatio colligi possit, & saltē bis ex ea aliquid actum, iudi-

catumve sit: postremo, vt maior populi pars huiusmodi consuetudine vsa sit, vel ex ea agendo, vel tacito consensu approbando; quorum si alterum desit, consuetudo vim legis amittit.

Ceterum in vnoquoque populo non eadem est consuetudinis ratio: nam si populus, cui lex iniungitur, liber solutusque sit; mos veteri consuetudine receptus, legibus antestat; plus enim momenti, ac ponderis situm est in consuetudine liberi populi, qui legem ferre, & latam abrogare ac interpretari potest; quam in Principis & legislatoris auctoritate, cum a libero populo, tamquam ex fonte omnis deriuetur Principis imperandi potestas:

Si vero populus legem ferre, & interpretari nequeat, nec scripta lex ciuium coniunctionem dirimat, aut afferat insigne detrimentum; consuetudo legem non abrogat, sed lex consuetudinem superat.

De solutione a legibus, quæ vulgo dispensatio dicitur. Cap. XXII.



QVONIAM multæ in vita mutationes existũt, fierique potest, vt præceptum, quod populorum communitati accommodatum est, alicui priuatim quibusdam in rebus, locis, atque temporibus congruere nequeat; propterea ciuilis societatis retinendæ caussa, necessaria fuit legibus exolutio, seu a lege discedendi facultas.

Quæ nihil aliud est, quam communis vtilitatis studio, alicui priuatim ex iusta caussa, a principe concessa iuris communis relaxatio.

Nam ad Principem tantum, vel totius Reip. moderatorem pertinet iubere qua ratione vnumquodque commune præceptum a singulis seruandum sit: qui enim populum regendi potestatem habet; potest etiam iure communi & lege suæ auctoritati innixa quosdã exoluere, qui suæ ditioni subiecti sunt.

Verum,

Verum, non suo arbitratu tantum, & libidine; sed in primis ratione & caussæ cognitione, communique vtilitate ductus, potestatem alicui faciat, qua legis vinculis relaxetur.

De legibus iniustis. Cap. XXIII.



NIVSTAE leges, vel potius legum euersiones, sunt perniciosa iussa rerum agendarum absq; recta ratione & contra diuinum humanumq; bonum in populos a Principe quæstus vel libidinis caussa constituta.

Dupliciter autem iniquæ leges fieri possunt, vel quia æternæ legi omnino contrariæ sunt; vt, quæ populis a Tyrannis de falsis alienigenarum Dijs, adorandis leges imponuntur, quæ nullo modo seruandæ sunt: vel quoniam ab humano bono longissime absunt, commodisq; ciuitatis officiunt.

Quod tripliciter potest contingere, primum ex fine, cum leges salutem atque vtilitatem Reip. tamquam finem propositum non habent, nec legumlatores communis vtilitatis caussa; sed libidine lucrique cupiditate ad leges condendas impelluntur: deinde ex auctore & legislatore, si qui legum ferendarum vi ac potestate caret, legem ferat; vel qui obtinet facultatem, ea iubeat, quæ maxime eius auctoritatem exuperent: postremo ex legum forma, nisi æquabiliter omnibus legislator eas imponat; sed odio, vel amore, gratiave impulsus, ciues inæquabili iure metiatur.

Quemadmodum igitur præcepta & instituta ciuitatum, quibus homines vtiliter ac salutariter viuunt in ciuili communione, uere leges appellantur; ita quæ perniciosa ad turpiter, iniusteq; uiuendum populis iussa describuntur, potius legum corruptelæ, & ciuitatum pestes atq; interitus, quam leges nominandæ sunt; cum a diuina lege, et iure naturæ defectiones quædam sint.

Quare,

Quare, si quæ huiusmodi leges interdum nuncupantur, popu-lariter magis, quam re nomen & uim legis obtinent; non enim hominum conscientiam obligare possunt, nec ciues ijs parere debent, nisi ex hoc plus mali ac detrimenti, quam boni consequeretur; ut si hoc plurimis esset offensioni, pareretq; in ciuitate concitationem: quorum euitandorum caussa, præstat viro prudenti de suo quasi iure aliquantum concedere, quamuis diuinæ legis auxilio nitatur.

FINIS.

Menda præcipua corrigenda.

Pag.2.b.ver.9.ac dicendum. 3.b 29.degunt.33.illi beatiores. 12.b.4. disciplina. 17.4.profluentia.25.19.obeunda 29.18.Tyranni. 23.vi imperij. 47.a.12. nam sicuti ratio, cuius proprium est ab vno ad aliud progredi, conclusioni. cetera leuiora omittimus.



